PROLEGOMENA

AD

HYMNUM IN VENEREM HOMERICUM QUARTUM

SCRIPSIT

R. THIELE.



HALIS,

SUMPTIBUS ET TYPIS ORPHANOTROPHEI.

MDCCCLXXII.

PROLEGOMENA

AD

HYMNUM IN VENEREM HOMERICUM QUARTUM

SCRIPSIT

R. THIELE.



HALIS,

SUMPTIBUS ET TYPIS ORPHANOTROPHEI.

MDCCCLXXII.

GODOFREDO BERNHARDY

VIRO DOCTISSIMO PRAECEPTORI BENIGNISSIMO

GRATUM ANIMUM HOC LIBELLO

PIE TESTATUR

AUCTOR.

De Homeri carminibus quaestio, quae dicitur, a Fr. Aug. Wolfio, philologorum saeculi nostri sane principe, primum in prolegomenis illis inclytis proposita inde ab octoginta fere annis saepissime ac summa cum diligentia singularique assiduitate a viris doctis est tractata. Qua opera Homeri carminibus largissime et optime navata factum est, ut illa poeseos epicae frustula, hymni homerici, qui antiquorum hominum jam tempore sub Homeri nomine insigni ineptissime circumferebantur, e carminum homericorum consortio, quo pauca digna sunt, seiuncta ac segregata sint. At nullus interpretum Homeri doctorum Alexandrinorum hymnos ingenio Homeri videtur tribuisse, „quum nusquam in tot scholiis ad Iliadem et Odysseam auctoritas hymnorum afferretur, quamquam eius rei frequens occasio fuisset.“ cf. Wolf Proleg. ad Hom. cp. L, pg. 266, not. 51; cf. Schwalb de hymnis Graecorum epicis, program. Clev. a. 1852, pg. 14; A. Guttmann de hymnorum homeric. hist. critic. partt. IV, pg. 1 sqq. Qua societate cum Homero hymni homerici, quos vocant, nullo modo tam diu essent fruiti, nisi in umbra quasi praestantissimorum carminum oblivione obruti diu pro exigua illorum appendice essent habiti. Etenim hymni quamquam in editione Homeri principe, quae cura Demetrii Chalcondylae (a. 1488) prodiit, Homeri textui iam subiuncti sunt, tamen per annos fere centum et viginti nullum invenerunt editorem, qui manu emendatrice adhibita multas eorum labes corrigeret — nam editiones Aldinae Gifanianae Basileenses Francofurtenses nec non Henrici Stephani (a. 1566 et 1588) sunt propagatae ex exemplari Chalcondylae, quem uno codice Florentino usum esse constat. Viginti fere annis post Stephani editionem alteram Bernardus Martinus (a. 1605) nonnullos locos corruptos emendavit, quem spatio saeculi interiecto exceperunt Iosua Barnesius et Iohannes Piersonus. Tum tandem exstitit vir, David Ruhnkenius, qui epistola critica ad Valckenarium data (a. 1749) et collatis duobus codicibus Pari-

sinis novam quasi viam hymnorum et edendorum et emendandorum patefecit. Atque paullo post contigit casu felicissimo, ut Aug. Matthiaeus Moscoviae (a. 1780) reperiret codicem pretii summi, in quo inter ceteros hymnos homericos hymnus in Cererem quoque exstabat, qui quamquam testimoniis veterum scriptorum notissimus per multa tamen saecula latuerat. Quod carmen Ruhnkenius (a. 1782) multis locis emendatum edidit. Dein Groddeckius commentatione de hymnorum homericorum reliquiis (a. 1786) scripta hymnis exiguam, sed sane utilem operam navavit nec non Wolfius in prolegomenis ad Homerum datis, cf. Schwalb in progr. laudato Clev. pg. 10 sq. Ilgenius autem, qui hymnos iusto volumine a. 1786 edidit, complectitur fere omnes, quae usque ad id tempus exstabant, opiniones et commentationes de hymnis. Quem paullo post secutus est Aug. Matthiaeus, cuius animadversiones in hymnos homericos a. 1800 eiusdemque editio hymnorum a. 1805 prodierunt. Sed utrumque longe superavit Godofredus Hermannus, qui in editione sua et verbis emendandis et sententiis enucleandis tantum praestitit, ut dubium non sit, quin Ruhnkenii etiam laudes adaequaverit. Post Hermannum Frid. Frankius hymnos ad optimarum editionum fidem recensuit et delectu opinionum habito eos notis instruxit potissimum Hermannum magistrum secutus. At libris manuscriptis, qui certissima esse debent fundamenta operum veterum scriptorum edendorum, ea qua par est subtilitate et diligentia neuter usus est. Nostra denique aetate hymni homerici invenerunt editorem, qui apparatu critico via et ratione collecto iis subiunxit subsidia, quibus ad eos castigandos et emendandos opus est. Etenim Schneidewinus per H. Keilium v. d., duorum librorum collationes nactus ac postquam codicem Moscoviensem (nunc Leidensem) ipse denuo excussit, animo volvit edere hymnos homericos. Sed anno 1856 praematura morte abreptus est. Quibus Schneidewini subsidiis instructus et intima familiaritate, quam iam dudum cum Homeri carminibus minoribus, quae vocant, habuit, „quasi indicatus“ — Koechly in program. Turic. a. 1856., Baumeisterus in edit. hymn. praef. pg. V —, Augustus Baumeisterus, a. 1860 edidit hymnos homericos cum apparatu critico et notis cum variorum tum suis adiectis.

Guttmannus quidem in libro nuper edito, cui inscriptum est „De hymnorum homericorum historia critica partt. IV“ (Gryphiswaldiae a. 1869), contendit, a Baumeistero non ea, qua opus esset, diligentia codicum scripturas relatas esse (pg. 10). At Guttmannus parum attulit pro rei magnitudine, ita ut nobis vix persuadeat. Res igitur adhuc in medio est relinquenda, dum nova et auctior hymnorum codicum, potissimum codicis Laurentiani (plut. XXXII, 45), de quo dubitatur, collatio erit facta. Qua hymnorum Baumeisteri editione critica iter tandem munitum est, quo argumentis singulorum hymnorum accuratissime examinatis atque locis corruptis eorumque emendationibus penitus perspectis nec non scriptura ex codicum auctoritate stabilita et confirmata atque oratione et re metrica hymni cuiusvis bene cognitis de eorum forma genuina ac de patria et poeta, quantum licet ex ipsis hymnis cognoscere, iudicia ferri possunt. Unde elucet, opera, quae ante editionem Baumeisteri confecta sunt, quum subsidia critica, quae vocant, ex multarum et saepius absconditarum editionum latebris eruere coacti essent vel iis omnino carerent, non ita magni facienda esse in iis rebus, quae ad lectionem vel confirmandam vel corrigendam pertinent, quamquam negare non debemus, divina quadam doctrina et sagacitate virorum de antiquis Graecorum litteris optime meritorum plurima iam allata et explorata esse, quae vel librorum manuscriptorum auctoritate stabilita vel quaestionibus, quae de singulis rebus subsidiis litterarum inde a quinquaginta annis auctis et luculenter amplificatis institutae sunt, confirmatae adhuc stant et fortasse stabunt, praesertim si de hymnorum cum Homero cognatione vel de eorum manco et saepius sibi contrario argumento sunt conscripta. Via autem per Baumeisterum patefacta mirum esse non potest, quod non pauci ac potissimum iuvenes, qui primitias studiorum non inutiles proferre velint, novis illis armis instructi de hymnis quaestionem ut eruditionis certamen sibi elegerunt. Testes sunt libelli Koehnii (Hal. 1865), Schulzii (Hal. 1868), Windischii (Lips. 1867), Grevii (Monast. 1867), Fietkavii (Regiomont. 1866). Nec sunt inutiles hi libelli, quippe quum ex iis mole magna operum, quae sunt de hymnis homericis, non perlecta facile cognoscas, quid quantumve a viris doctis in iis

explicandis sit effectum quidve desit. At quum quatuor sunt hymni homerici maiores, valde miror, quod tres tantum hymni commentationibus illis, quas descripsi, adhuc illustrati sunt, praesertim quum ille hymnus, qui respectis studiis in ceteris hymnis collocatis neglectus est, sane optimus ac perfectissimus esse videatur et iam ab antiquis hominibus insigni ὁμηρικωτάτου nomine sit notatus, hymnum dico in Venerem, de quo nullus, quoad scio, eiusmodi libellus exstat. Quibus rebus omnibus commotus consilium cepi libelli conficiendi, ut in medium proferam opiniones, quas de hymno in Venerem homerico viri docti ediderunt. A quo proposito secerni non potest, ut latiore disputatione hymni et rem metricam et orationem exigamus ad obrussam quasi carminum hommericorum, quae omni de poesi Graecorum epica ac potissimum de carminibus epicis sub Homeri nomine diu circumlatis quaestioni firmissimo sunt fundamento, explanem, quid ipse de hymni argumento, poeta, patria sentiam.

Inde ab anno millesimo septingentesimo nonagesimo quinto, quo Wolfius prolegomena ad Homerum inclyta edidit, et Wolfii et ceterorum virorum doctorum opera et studiis cognitio quum poeseos epicae Graecorum tum carminum Homericorum tantum provecta atque aucta est, ut multa et usque eo incognita sint inventa, multa vero deesse intelligantur. Quare ea, quae viri docti de Homero poeta ante Wolfium senserint, fere nullius aestimanda esse puto. Idem est iudicandum de opinionibus, quae exstant de hymnis homericis, quamquam negandum non est, iam ante Wolfium, etsi Homerus vates caecus esse etiam putaretur, illa poeseos epicae Graecorum frustula Homeri nomine digna non esse nonnullis placuisse. Quae opiniones, quibus hymnos Homero abiudicandos esse docemur, postero tempore argumentis certioribus etiam stabilitae ac confirmatae adhuc stant et putantur, ita ut opus non habeam disputatione ampliore probare, hymnos, qui vulgo homerici nominantur, ab Homero confectos esse non posse. Atque omnino de omnium hymnorum homericorum statu plura affere supersedeo, quoniam de uno in Venerem hymno agere mihi propositum est. Si quis vero disputationem ampliorem requirat, eum reiicio in Groddeckii librum de hymnorum homericorum reliquiis (Gotting.

1786) et Matthiaei animadversiones in hymnos homericos (Lips. 1800). Nec non Bernhardyus in Graecarum litterarum historia[1] summa cum doctrina ac felicissimo delectu omnia, quaecunque digna sunt, quae sciantur, congessit. Missa igitur quaestione de hymnis omnibus homericis animum nunc advertamus ad hymnum, de quo disputaturi sumus, in Venerem compositum. Ac primum quidem nobis dicendum est de sententiis, quas viri docti de eo tulerunt, quatenus ex meis subsidiis eas cognoscere potui.

1) II³ pg. 221 sqq.

Caput I.

De virorum doctorum sententiis de hymno in Venerem homerico.

Primus qui de hymno in Venerem homerico sententiam tulit, fuit Groddeckius in commentatione de hymnorum homericorum supra laudata. Ille enim putat, hymnos homericos, etsi ab Homero confecti non sint, tamen carmina epica tempore sane antiquo composita esse, quibus initio et extrema parte clausulae quaedam affictae sunt in honorem eius numinis, cuius facinus aliquod in hymno ipso narratur. Huiusmodi esse quatuor hymnos maiores, minores autem esse frustulas maiorum, quae perierint. Non praetermittendum esse, hymno quovis unum tantum numinis factum vel unam fabulam ad deum pertinentem narrari, veluti hymno in Venerem composito deae huius et Anchisae amores (Groddeck. l. l. pg. 20), hymno in Mercurium dei natales ob lyrae inventionem et boum furta celebres exponantur. Hymnum autem in Venerem pulcherrimum esse et profectum ex Iliad. rhaps. ε, vv. 247, 248. 313. At in Homero, Groddeckius inquit (l. l. pg. 20), ut plurimarum fabularum ita huius tantum prima semina sparsa vides, quae a sequioribus demum poetis, qui res antehomericas, quas dicunt, tractaverunt, excepta atque adeo exculta sunt, ut nova inde carmina prodirent. Id patere ex scholio ad Iliad. v, 307, ubi oraculum hoce exstaret, Priami stirpe exstincta Anchisae posteris imperium esse destinatum. Quod ut fieret, Venerem Paridi amorem Helenae instillasse et sic totum bellum Troicum commovisse. Scholiastam autem profiteri, hanc narratiunculam se sibi sumpsisse ex Acusilao. Hunc vero antiquissimos mythos e cyclicorum poetarum carminibus primum collegisse. At ex Herodoti li. II. cpp. 116 et 117 elucere, in Stasini *Κυπρίοις ἔπεσιν* huiusmodi fabulas antehomericas, ut ita dicam, esse tractatas. Quare concludit Groddeckius, Acusi-

laum, quem scholiasta exscripsit, e Stasini *Κυπρίοις ἔπεσιν* hanc fabulam hausisse, praesertim quum in codice Escurialensi argumentum *Κυπρίων ἔπεων* exstet, ex quo Helenus oraculum supra a nobis commemoratum ediderit. Dicit ergo Groddeckius (pg. 42), nostri hymni fabulam petitam esse ex Stasini *Κυπρίοις ἔπεσι* vel totum hymnum fuisse istius Stasini carminis particulam — cui assensus Eichstaedtius in Handwörterbuch der schönen Künste (a. 1794), 2. pg. 602; cf. Welcker, Episch. Cycl. II. pg. 128 not. 53 — ob eamque causam, quum illa *ἔπεα* virtutes homericorum carminum paene adaequasse dicantur, iure optimo hymnum nostrum *ὁμηρικώτατον* esse dictum. Cui coniecturae hoc insuper accedere, quod in hymno inserta esset de Tithono ab Aurora rapto fabula, quae ad fabulas Cyprias esset referenda. Quae Groddeckii coniectura, quamquam ei Fr. Iacobsius in prolegg. ad Tzetz. Antehomeric. pg. XXIV not. adsentitur, tamen, quam inanis sit, exposuerunt Henrichsenius (De carmin. Cypriis Havniae a. 1828 pg. 80—81) et optime Baumeisterus (in commentario ad hymn. n. pg. 251) in medium vocans ea, quae de argumento Stasini Cypriorum Welckerus disputavit in cycl. epic. volumine altero. Groddeckii sententiam paullo post impugnavit Ilgenius in praefat. editionis suae hymnorum homericorum, quum affert, argumentum hymni compertius ac spectatius fuisse quam ut desideremus fontem quendam certum, unde hymnographus materiam carminis hauserit. Usum autem esse illum fundamento Hom. Iliad. rhaps. *υ*, verss. 307 et 308, quibuscum comparari possint hymn. nostr. vv. 196 et 197, quippe quum hymnographus aliquid certe compertum habuerit de regno Troicarum reliquiarum sub Aeneae posteris florente. De quo regno antiqui iam homines valde dubitabant — conferatur Heynius in excurs. prim. ad Verg. Aen. l. III nec non Quintus Smyrnaeus in Posthomeric. l. XIII, v. 300 et Vergilius in Aeneid. l. III vv. 94—98, qui illud regnum in Italia fuisse tradunt. Neque constat, quod Aeneadum regnum a nostro hymnographo sit denotatum. Fr. Aug. Wolfius autem, vir mea laude maior, in proleg. ad Hom. (pgg. 106 et 107 edit. primae, pgg. 63 et 64 secund. edit. a. 1859) de hymnis omnino agit, quos a rhapsodis dicit esse compositos, quibus solemni recitationi carmi-

num homericorum praeluderent. Ex huiusmodi prooemiis et fragmentis prooemiorum hanc nostram farraginem hymnorum esse conflatam. Sed nihil de hymno nostro solo dicit. Fusius dein disputat Matthiaeus in Animadversionibus in hymnos hom. scriptis. Etenim ille putat, hymnos tantum minores esse *προοίμια*, hymnos vero maiores minora esse carmina epica, si exordium et epilogum demas, quoniam nemo credere possit, ducentis vel quadringentis versibus poetae inferioris datas esse aures ab iis, qui Homerum audire vellent. At quum hymnus in Venerem omnium hymnorum sit sane pulcherrimus et paucissimis labibus et corruptelis affectus, Matthiaeus dubitat num hoc carmen omnino hymnis sit adnumerandum, quippe quod non laudes numinis a vi, potentia, maiestate eius desumptas celebret, sed Venerem a Iove et sui ipsius artibus esse superatam narret. Quocirca carmini inscribere vult: ‚Laudes stirpis Aeneadum', depromptae ex carmine maiore, quod tractaret et fabulas Troianorum et res posthomericas, quas vocant. Clausulas, quae initio et fine exstent, a rhapsodo quodam carmini allitas esse. Hac opinione imbutus Matthiaeus refutat ea, quae Groddeckius protulit, quum dicit, non opus esse Aeneae originem et res natalicias in Stasini Cypriis esse traditam commemorare, etiamsi in illo carmine Aeneae res gestae post Troiam dirutam essent narratae. Ac scholiastam, qui Acusilaum in medium vocasset, sane Stasinum ipsum nominaturum fuisse, si ille de Aeneae partu et de oraculo Aeneae posteris imperium promittente aliquid attulisset, nec non Acusilaum ipsum, si hanc narratiunculam apud Stasinum exstare invenisset, illum rei sane spectatissimae testem vocaturum fuisse. Aeque incertum esse eam ob causam, quod Tithoni fabula ad res Cyprias sit referenda, hymni nostri argumentum e Stasini Cypriis esse petitam putare. Immo censet Matthiaeus hymnum nostrum ad laudem stirpis Aeneadarum esse compositum, quippe quum narratum sit, generis auctorem a dea esse procreatum, dein quia Anchisae proavi ad gentem suam nobilitandam sint in medium vocati. ‚Quod nisi ponimus', inquit [1], ‚nihil ineptius et inopportunius illa Veneris oratione

---

2) l. l. pg. 71.

longa excogitari potest.' Est igitur ex sententia Matthiaei carmen nostrum pro vero prooemio habendum, quo rhapsodi inchoabant vel eam carminum homericorum partem, qua Aeneas cognatique eius maxime celebrabantur, vel carmina, quibus Aeneae res gestae laudibus extollebantur. Quae in urbibus, in quibus Aeneadae regnabant, permulta fuisse Matthiaeus vult.

Opinio sane optima, quam ad nostram ipsam de hymno sententiam concipiendam maximae fuisse utilitati libenter profitemur. Dolendum autem est, quod Matthiaeus ea, quae protulit, magis cum divinatione quadam coniectavit quam argumenta protulit certa ex hymni ipsius et fabula et oratione petita, quibus opus est quaeque sola aliquid certi constituunt.

Ante Matthiaeum Ioh. Henr. Vossius in epistolis mythologicis (edit. prim. vol. II epist. 31 pg. 176; edit. secund., qua ego usus sum, vol. II epist. 69 pg. 297) opinionem protulit de hymno nostro, quem uti omnes illius aetatis viri docti Homero abiudicat ob res ex mea quidem sententia nimium exiguas — nam aliae sunt causae et multo graviores — et tribuit aetati, qua vixit Anacreon, id est circa olympiadem sexagesimam (540 a. Chr. n.)[1]. At contra Vossium surrexit Matthiaeus in libro a nobis supra laudato, qui ait, dictionis colorem simpliciorem esse et altiorem, ita ut hymnus noster inter homines elegantes et cultu vitae humaniore expolitos, non autem apud populum deliciis et mollitie fractum compositus esse possit. Quanta vero luxuria et mollitie Iones Anacreontis aetate quasi obruti fuerint quis nescit? Quocirca Matthiaeus hymnum nostrum Ioniae rebus florentibus confectum esse mavult, quum disciplina patrum bene servata mores nondum corrupti essent, fortasse tempore, quo vixit Mimnermus, circa Olympiadem tricesimam septimam (a. 630 ant. Christ. nat.)[2]. Sequitur dein Godofredus Hermannus, qui in epistola ad Ilgenium data et editioni hymnorum suae praefixa contendit, hymnos Homericos multas accepisse clades ab interpolatoribus, qui multa mutassent, dempsissent, addidissent, non modo ut diversa carmina connecterentur et tolleretur, si quid cum aliis locis pugnaret, sed etiam ut plura carmina, in quibus eadem

1) cf. Bernhardy Gesch. d. Griech. Litt. II³, 1 pg. 62.
2) cf. Bernhardy Gesch. d. Griech. Litt. II³, 1 pg. 506.

res tractata esset, in unum confunderentur. Etenim ille: ‚De majoribus,‘ inquit,[1] ‚Homeri hymnis nullus est, quam alii poetae non interpolaverint: conjunxerunt enim librarii diversarum recensionum lectiones.‘ Quod in omnes hymnos maiores cadit, id in nostrum quoque hymnum cadat necesse est. Itaque agit Hermannus in editione (pg. 89 — 95) de hymni interpolationibus, quas esse iubet. Putat enim hunc quoque hymnum e duabus recensionibus esse conflatum, quarum alteram codex Moscoviensis (nunc Leidensis) — anno 1780 e tenebris bibliothecae S. Synodi a Christ. Frd. Matthiaeo erutus — cf Baumeist. proleg. pg. 93 — cf. supra praefat. pg. 2), alteram ceteri codices sequuntur. Quam opinionem ut confirmaret Hermannus singula accuratissime tractavit. Hermannum praeceptorem excepit Frd. Frankius, qui quamquam de tota hymnorum collectione sententiam tulit — putat enim, hymnos maiores esse tamquam carmina aditialia (*προσόδια*) in pompa ad templum accedente cantata: cf. praef. pg. XIX —, tamen de hymno nostro singulari non agit.

Agmen editorum concludit Baumeisterus, cuius editio hymnorum maior a. 1860 in lucem prodiit. Is enim in prolegomenis postquam hymnos omnes Homero abiudicandos esse ostendit, suspicatur eos per Onomacritum, quem (pg. 103) interpolatorem Homeri clamant omnes et in Hesiodum grassatum eum esse nuper repertum est, vel per eius familiam esse compositos, ut ipsorum novellis religionibus — Orphicas puta — benevolentiam commode conflarent. Qua ex coniectura Baumeisterus laceram et interpolatam formam carminum fere omnium commodissime posse explicari dicit. Miror equidem, quod vir ceteroquin cautissimus, qui coniiciendo tam arctos posuit fines, in tam audacem coniecturam, quae nulla certa re firmatur, incidit. Melius iudicat (pg. 250) de hymno nostro. Etenim ex natura Veneris, qualis in hymno nostro est, non dissimili magnae matri vel Rheae Phrygiae et ex eo, quod argumentum hymni totum est in fabulis Troicis, hymnum non ante eam aetatem, qua cultus magnae matris apud Graecos Asiae incolas invaluit, iisque locis, ubi hae fabulae per ora

1) pg. XX.

populi circumferebantur, esse compositum. Qui plura dicat, eum de recto sobriae investigationis tramite declinare Baumeisterus putat. Utinam re accuratius perpensa et exposita paullulo declinasset, profecto iure suo ex rebus praemissis multa recte conclusisset! At ille missis figmentis, quae dicit, acquievit in castigandis Hermanni obelis et in removeudo loco illo suspecto de natura ac vita nympharum silvestrium.

His igitur virorum doctorum de hymno in Venerem nostro opinionibus variis ac diversissimis copiosius enarratis mihi est propositum gravissimis quam potero argumentis exponere, quid ipse sentiam. Quod ut perficiam duabus rebus opus est, primum ut de hymni re metrica et oratione, quales sint, quaestiones instituam, deinde ut argumentum hymni curiose examinem. Tum si explanavero quatenus illud ad alia Graecorum carmina epica et totum et singulis in rebus accedat vel ab iis recedat, spero fore ut nonnulla et probabilia de hymni nostri patria ac poeta proferre possim.

Caput II.

Quaestiones metricae et grammaticae de hymno in Venerem Homerico.

Poeseos Graecorum epicae historiam si quis accuratius perspexerit, facili opere inveniet, antiquissimis temporibus duo illorum carminum genera fuisse, alterum, quod continet carmina epica, quae ex Ionum ingenio ac dictione condita esse videbantur, genus Homericum, si ita dicere licet, alterum, quod continet carmina epica et genealogica et didactica, genus Hesiodeum. Prioris, generis Homerici, fructus quodammodo floris longaevi [1] ultimi perfectissimique sunt duo illa carmina inclyta, Ilias et Odyssea. Priscis quidem temporibus multa carmina sub Homeri nomine insigni venditabantur, quae iam Pisistrato auctore ab Onomacrito eiusque sociis nec non ab aliis viris Atticis doctis, postea vero ab Alexandrinis grammaticis e consortio cum Homeri carminibus, quo non digna esse videbantur, sunt mota. Alterum genus fuit Hesiodeum, nempe carmina epica poetarum plurimorum sub Hesiodi nomine circumlata, quae confecta sunt eo tempore [2], quo Graecorum ratio cogitandi immutata non tam ad veteres illas de heroum rebus gestis fabulas fuit adiecta quam ad doctrinam de numinibus inter deos hominesque intercedentibus atque ad scientiam deorum hominumque naturae nec non ad disciplinas mysticas, ut ita dicam, a Doriensium pontificibus excultas. Inter utrumque poeseos epicae genus medium quendam teneri locum ab hymnis homericis persuasum [3] habeo, quoniam et rerum et verboram cum utroque genere agunt commercium.

---

1) Bernhardy l. l. I³, pg. 298; II³, 1 pg. 87 sqq. all. ll.
2) Bernhardy l. l. I³, pg. 335; II³, 1 pg. 265 sqq. all. ll.
3) Bernhardy l. l. II³, 1 pg. 222 sqq.

Optimo igitur iure Bernhardyus [1] excitavit animos, ut anquireretur, quatenus ac quibus rebus hymnorum homericorum dicendi genus et cum Homero et cum Hesiodo consentiret atque abhorreret. Quae quaestio est sane difficillima, quia de Homeri re metrica plures exstent libri, de Hesiodi nullus, quoad scio, ac quia eum, qui ad hanc rem accedat, opus sit et cum Homeri et cum Hesiodi operibus intima familiaritate esse coniunctum et in utroque poeta quasi habitare. Interim priusquam talis vir exstiterit, operae erit pretium singula colligere et examinare. Quod Bernhardyi praeceptum maxime mihi cadere videtur in hymnos in Mercurium et Cererem confectos, minime vero in eum, de quo agimus, hymnum, quippe qui fere nimis homericus esse videatur ac paene nil habeat, quod prorsus a consuetudine homerica abhorreat. [2] Ac quum ab aliis viris doctis uti a Koehnio [3] nonnulla ex hymno ad Hesiodeum genus dicendi propius accedentia sint collecta, timeo, ne mihi pauca sint relicta, quae addam, quamquam hoc loco expressis verbis dictum esse volo, unum nostrum hymnum ab Hesiodi genere dicendi prorsus recedere, ceteros vero hymnos ad id magis minusve propius accedere.

Venimus [4] igitur nunc ad priorem huius capitis partem, quae est de hymni re metrica.

---

1) l. l. II³, 1 pg. 222 et saepius.

2) Windisch de hymn. Homer. maior. Lips. 1867, pgg. 41. 55.

3) Koehnius Quaestiones metric. et gramm. de hymn. Hom. Hal. 1865; Fietkavius ‚De carminum Hesiodeorum atque hymnorum quatuor magnorum vocabulis non Homericis,‘ Regiomont. Pr. 1866.

4) Adnotandum est, si exemplis ex Homeri carminibus petendis egeam, haec a me e primo Iliadis libro plerumque sumpta esse, quippe in quo minima corruptelarum vestigia exstare notissimum sit. Atque hoc loco commemorandum est, me in examinandis hymni et re metrica et dictione eadem ratione sive methodo esse usum, quam adhibet Georgius Curtius, vir doctissimus clarissimusque, in scholis de carminibus Homeri habitis, quas in hoc libello conscribendo saepissime in usum sumpsi, potissimum in ea parte, quae est de re metrica hymni et dictione. Etenim si quis certum de re metrica dicendique genere iudicium carminum Graecorum epicorum ac maxime eorum, qui Homerica esse antea putabantur, ferre vult, eum una ac certissima regula carminibus Homericis ipsis uti necesse est.

De hymni re metrica

Ac primum agimus de caesuris.

De caesuris

Hoffmann Quaestiones Homericae (a. 1842) vol. I, pg. 1—27.

Spitzner De versu Graecorum heroico (Lips. 1836) pg. 1—13.

Populorum indogermanicorum, qui dicuntur, versus antiquissimos longiores in binas partes esse dissecatos inter viros doctos nunc constat. Sic apud Romanos versus, qui Saturnius vocatur, apud Germanos versus, qui est in inclyto carmine epico de Nibelungis, apud Graecos hexametrum in binas partes divisa sunt. Unde intelligitur, fere omnia Graecorum hexametra uti caesura pedis tertii sive semiquinaria sive post tertium trochaeum. Ita versuum Iliadis 15694 tantum 185, versuum 12101 Odysseae tantum 71 (cf. I. Bekker Homer. Blätter pg. 143) carent caesura pedis tertii, id est in Iliade 1 : 84 et in Odyssea 1 : 170. In hymno nostro habent omnes versus pedis tertii caesuram praeter versus quartum et ducentesimum septuagesimum quartum, id est 1 : 146, quae fere ratio est Odysseae. Et equidem puto, ne versum quidem alterum (v. 271) carere caesura pedis tertii, si sequimur I. Bekkerum, qui (l. l. pg. 141) ait: —, wie denn Zusammensetzungen dem Verse überall nicht für festverwachsene Einheiten gelten, am wenigsten Verba mit angesetzten Präpositionen; vielmehr wird da die Präposition wie ein für sich stehendes Adverbium behandelt.‘ Hactenus ille. Quod si verum putamus, post *περὶ* praepositionem esse caesuram semiquinariam statuere possumus. Habemus igitur versus 147 praeditos caesura semiquinaria (in quibus dividendi versus ratio est $2^1/_2 + 3^1/_2$) et versus 145 instructos caesura pedis tertii trochaica (ubi est ratio $2^3/_4 + 3^1/_4$) — id est utriusque generis totidem versus. —

Caesura post pedem tertium vitatur, ne duae versus partes pares oriantur. Ac si eiusmodi caesuram legis, dividendus tibi est versus non hoc ipso loco, sed alio quodam, quoniam apud Graecos altera semper sit caesura necesse est; sic apud Homerum exempli gratia in Iliad. *γ, ν.* 185 non post pedem tertium caesura est, sed semiquinaria. Apud Ennium

eiusmodi versus cum caesura post pedem tertium exstant, veluti[1]: ‚Poeni pervortentes omnia circumcursant', sed sunt pessimi. In nostro hymno plures versus post pedem tertium dissecantur, sed semper altera exstat caesura, quae praevalet. Ut exempla proferam, versus 43 dividitur post pedem tertium, sed praevalet caesura semiquinaria, quam sequitur caesura bucolica, quae vocatur, est igitur ratio $2\frac{1}{2} + [\frac{1}{2} + 1 + 2]$, vel versus 164, ubi illa mala caesura neglecta praevalet caesura semiquinaria, quacum coniunctae sunt caesura post pedem primum et bucolica, est igitur ratio $[1 + 1\frac{1}{2}] + [\frac{1}{2} + (1 + 2)]$. Et eiusmodi exempla habeo multa in promptu. Praeter caesuras pedis tertii inveniuntur caesura semiseptenaria et semiternaria. Caesura semiseptenaria est caesura summa in versu hymni nostri quarto et fortasse in versu 200, nisi mavis nos sequi (pg. 14). Nunquam vero haec caesura sola exstat neque apud Homerum neque in hymno nostro, sed semper coniuncta est cum aliis, sic apud Homerum in Iliad. λ, v. 361 cum semiquinaria, Iliad. α, v. 48 cum pedis tertii caesura trochaica, et in hymni nostri v. 4 cum caesuris semiternaria et bucolica — est igitur ratio $(1\frac{1}{2} + 2) + (\frac{1}{2} + 2)$ —, in v. 271 cum caesura semiquinaria et post pedem primum — est igitur ratio $[(1 + 1\frac{1}{2}) + 1] + [\frac{1}{2} + 2]$, in v. 8 cum caesuris post pedem primum et pedis tertii trochaica praeter caesuram semiseptenariam — est igitur ratio $[1 + 1\frac{3}{4}] + [\frac{3}{4} + 2\frac{1}{2}]$. Neque alia utitur conditione caesura semiternaria, quae eadem nunquam est caesura versus summa, sed semper conjuncta cum caesura pedis tertii, fortasse cum semiseptenaria (cf. v. 4), veluti Iliad ζ, 394 cum caesura pedis tertii trochaica. De multis exemplis sufficit proferre haece: caesura semiternaria in versibus 7. 11. 13 coniuncta est cum semiquinaria, in versibus 9. 15. 17 cum caesura pedis tertii trochaica. Multa possum afferre exempla de coniunctione caesurae semiternariae et semiseptenariae, sed sunt tot ac tam variae, ut non ex poetae consilio, sed ut fors ferebat, ortae esse videantur. Aliter est iudicandum de caesura bucolica, per quam caesura una alterave pedis tertii posita secunda versus pars denuo dissecatur ac dividitur. Haec caesura saepissime invenitur — velut. I. Bekkerus (l. l. pg. 144)

1) I. Bekker l. l. pg. 142.

in Iliad. rhapso. ε computat ex versibus 909 vv. 561, in rhapsod. λ e vv. 848 vv. 575, in Odysseae rhapsod. α e vv. 444 vv. 247, qui hac caesura utuntur. In hymno nostro habent ex vv. 293 vv. 165 hanc caesuram, de qua agimus, bucolicam. Est igitur in hymno fere eadem ratio atque in libris Homeri laudatis. Ac caesuram bucolicam in homericis carminibus late vagari primus I. Bekkerus ostendit in libro saepius laudato. Atque ante eam pes quartus saepissime constat ex dactylo, raro ex spondeo — sic in Iliad. rhaps. ε sunt 470 dactyli et 61 spondei, in rhaps. λ 478 dactyli et 97 spondei, in Odysseae rhaps. α 213 dactyli et 54 spondei, atque eadem fere ratio est in hymno nostro, in quo 156 dactyli et novem spondei sunt. Potissimum vero Homerus hac caesura usus est, ut enarrationi novam quandam rem subiungeret vel rem iam descriptam epitheto exornaret. Inde factum est, ut multae formulae epicae ad finis versus regulas formatae caesura bucolica admissa finiant versum — harum formularum homericarum exempla offero haece: δῖος Ὀδυσσεύς, Νέστορι δίῳ ἵππότα Νέστωρ, μητίετα Ζεύς, ἔργον Ἄρηος et sunt multa alia. In hymno nostro eiusmodi formulas exstare puto in 71 versibus, qui sunt: 5. 11. 13. 14. 15. 21. 22. 23. 27. 28. 36. 42. 43. 44. 45. 46. 53. 62. 64. 68. 72. 76. 79. 85. 89. 90. 91. 97. 99. 101. 102. 105. 106. 110. 111. 117. 119. 121. 127. 129. 130. 140. 141. 143. 145. 146. 148. 151. 154. 160. 165. 167. 170. 171. 176. 181. 187. 202. 208. 209. 213. 214. 221. 223. 224. 230. 250. 280. 289. Ac persuasum habeo, fore ut si quis accuratius hanc caesurae bucolicae vim in Homeri carminibus exercitatam animadvertisset, plures illius dictionis proprietates explanarentur, quarum non paucas in transcursu tamquam Bekkerus (l. l. pg. 144—147) iam explicavit. Id unum addere velim, verba longiora versui saepissime sub ea tantum conditione posse inseri, si versus utatur caesura bucolica — ejusmodi exempla sunt in hymno nostro vv. 22. 23. 27. 36. 38. 42. 51. 85. 98. 105. 119. 120. 137. 164. 165. 169. 187. 190. 197. 205. 215. 219. 226. 243. 244. 252. 256. 264. 265. 280. 291. In Homero exstant innumerabilia eiusmodi exempla, veluti Iliad. ν, v. 266. 267. 268, in quos forte oculos conieci.

[illegible] pars, quae [illegible] fuit [illegible], per caesuram bucolicam denuo est divisa, ita [illegible] pars caesura post pedem primum posita iterum [illegible]. Quam caesuram adamat Homerus, et in hymno [illegible] 163 versus ea utuntur. Atque hoc quoque loco poetae [illegible] non alienus est ab Homeri, quippe qui eundem fere nu[illegible] dactylorum et spondeorum in pede primo admiserit. [illegible] vero lingua Graeca locupletior vocibus dactylicis quam [illegible]daicis sit, confitendum est, hoc ipso loco spondeum ab [illegible]mero adamari. Bekkerus (l. l. pg. 138) igitur hunc spondeum [illegible] omnibus, quibus potuit, restituit, quum formam vocis vul[illegible], si erat dactylica, mutavit in spondaicam, si eiusmodi [illegible] fuit. Quae Bekkeri ratio valde confirmatur eo, quod [illegible] homerica per longum tempus non scripta sed dicta tantum — ut equidem puto — a rhapsodis circumferebantur. Quare saepissime fieri potuit, ut syllabae diphthongus ex [illegible]uae posterioris legibus in duas vocales discinderetur, ita [illegible] forma dactylica et locupletior existeret. At periculum est, [illegible] ingenio nimium tribuamus, et ego quidem hymni nostri [illegible]s eiusmodi — uti sunt vv. 20. 56. 72. 177. 290 — mutare [illegible] audeo, quia argumentis satis firmis diiudicari non potest, [illegible]rum poeta ea ipa dixerit, quae Bekkerus iubet, an fortasse alia. [illegible]tandum denique est, in hymno versuum illorum 163, quos [illegible] caesura post pedem primum supra diximus, versus 76 [illegible] spondeum in primo pede, 87 autem dactylum — quae [illegible] fere eadem est apud Homerum (cf. Bekker l. l.)

Sequitur dein, ut breviter disseramus de causis, quibus caesurae vel augeantur vel debilitentur. Ex carminibus autem [illegible]mericis edocemur, caesuras verborum intermissione vel fine [illegible]ntiae maxime augeri — cf. Iliad. α, 25. 33. 43. 47 alios [illegible]s. Quae intermissio exstrinsecus denotatur interpunctione, [illegible] vocant. Saepissime ea invenitur in caesura post pedem [illegible], quum e proximo versu sententia in subsequentem [illegible]ratur aut quum personae, cuius mores aut res gestae [illegible]ximo versu descripta sunt, nomen commemoretur vel ei [illegible] epitheton ornans, quod dicitur, vel in eius compella[illegible] — sic legimus in hymni vv. 22. 24. 38. 57. 59. 62. [illegible]2. 89. 120. 132. 171. 175. 177. 178. 186. 189. 190.

in Iliad. rhapso. ε computat ex versibus 909 vv. 561, in rhapsod. λ e vv. 848 vv. 575, in Odysseae rhapsod. α e vv. 444 vv. 247, qui hac caesura utuntur. In hymno nostro habent ex vv. 293 vv. 165 hanc caesuram, de qua agimus, bucolicam. Est igitur in hymno fere eadem ratio atque in libris Homeri laudatis. Ac caesuram bucolicam in homericis carminibus late vagari primus I. Bekkerus ostendit in libro saepius laudato. Atque ante eam pes quartus saepissime constat ex dactylo, raro ex spondeo — sic in Iliad. rhaps. ε sunt 476 dactyli et 61 spondei, in rhaps. λ 478 dactyli et 97 spondei, in Odysseae rhaps. α 213 dactyli et 54 spondei, atque eadem fere ratio est in hymno nostro, in quo 156 dactyli et novem spondei sunt. Potissimum vero Homerus hac caesura usus est, ut enarrationi novam quandam rem subiungeret vel rem iam descriptam epitheto exornaret. Inde factum est, ut multae formulae epicae ad finis versus regulas formatae caesura bucolica admissa finiant versum — harum formularum homericarum exempla offero haece: *δῖος Ὀδυσσεὺς*, *Νέστορι δίῳ* *ἱππότα Νέστωρ*, *μητίετα Ζεὺς*, *ἔργον Ἄρηος* et sunt multa alia. In hymno nostro eiusmodi formulas exstare puto in 71 versibus, qui sunt: 5. 11. 13. 14. 15. 21. 22. 23. 27. 28. 36. 42. 43. 44. 45. 46. 53. 62. 64. 68. 72. 76. 79. 85. 89. 90. 91. 97. 99. 101. 102. 105. 106. 110. 111. 117. 119. 121. 127. 129. 130. 140. 141. 143. 145. 146. 148. 151. 154. 160. 165. 167. 170. 171. 176. 181. 187. 202. 208. 209. 213. 214. 221. 223. 224. 230. 250. 280. 289. Ac persuasum habeo, fore ut si quis accuratius hanc caesurae bucolicae vim in Homeri carminibus exercitatam animadvertisset, plures illius dictionis proprietates explanarentur, quarum non paucas in transcursu tamquam Bekkerus (l. l. pg. 144—147) iam explicavit. Id unum addere velim, verba longiora versui saepissime sub ea tantum conditione posse inseri, si versus utatur caesura bucolica — ejusmodi exempla sunt in hymno nostro vv. 22. 23. 27. 36. 38. 42. 51. 85. 98. 105. 119. 120. 137. 164. 165. 169. 187. 190. 197. 205. 215. 219. 226. 243. 244. 252. 256. 264. 265. 280. 291. In Homero exstant innumerabilia eiusmodi exempla, veluti Iliad. ν, v. 266. 267. 268, in quos forte oculos conieci.

Uti vero secunda versus pars, quae orta fuit altera pedis tertii caesura, per caesuram bucolicam denuo est divisa, ita prior quoque pars caesura post pedem primum posita iterum dissecatur. Quam caesuram adamat Homerus, et in hymno nostro 163 versus ea utuntur. Atque hoc quoque loco poetae usus non alienus est ab Homeri, quippe qui eundem fere numerum dactylorum et spondeorum in pede primo admiserit. Quum vero lingua Graeca locupletior vocibus dactylicis quam spondaicis sit, confitendum est, hoc ipso loco spondeum ab Homero adamari. Bekkerus (l. l. pg. 138) igitur hunc spondeum locis omnibus, quibus potuit, restituit, quum formam vocis vulgatam, si erat dactylica, mutavit in spondaicam, si eiusmodi omnino fuit. Quae Bekkeri ratio valde confirmatur eo, quod carmina homerica per longum tempus non scripta sed dicta tantum — ut equidem puto — a rhapsodis circumferebantur. Quare saepissime fieri potuit, ut syllabae diphthongus ex linguae posterioris legibus in duas vocales discinderetur, ita ut forma dactylica et locupletior existeret. At periculum est, ne ingenio nimium tribuamus, et ego quidem hymni nostri locos eiusmodi — uti sunt vv. 20. 56. 72. 177. 290 — mutare non audeo, quia argumentis satis firmis diiudicari non potest, utrum poeta ea ipa dixerit, quae Bekkerus iubet, an fortasse alia. Adnotandum denique est, in hymno versuum illorum 163, quos uti caesura post pedem primum supra diximus, versus 76 habere spondeum in primo pede, 87 autem dactylum — quae ratio fere eadem est apud Homerum (cf. Bekker l. l.)

Sequitur dein, ut breviter disseramus de causis, quibus caesurae vel augeantur vel debilitentur. Ex carminibus autem homericis edocemur, caesuras verborum intermissione vel fine sententiae maxime augeri — cf. Iliad. α, 25. 33. 43. 47 alios locos. Quae intermissio exstrinsecus denotatur interpunctione, quam vocant. Saepissime ea invenitur in caesura post pedem primum, quum e proximo versu sententia in subsequentem transferatur aut quum personae, cuius mores aut res gestae in proximo versu descripta sunt, nomen commemoretur vel ei affigatur epitheton ornans, quod dicitur, vel in eius compellatione — sic legimus in hymni vv. 22. 24. 38. 57. 59. 62. 71. 72. 89. 120. 132. 171. 175. 177. 178. 186. 189. 190.

193. 223. 242. 254. 266. 276. Nec rarius hac verborum intermissione caesurae bucolicae vis augetur, quippe qua sententiae nova quaedam particula adiiciatur — sic in vv. 28. 46. 68. 69. 73. 89. 95. 104. 114. 128. 136. 146. 158. 167. 198. 207. 237. 249. 283. Eadem ratione augentur caesura semiternaria in vv. 92. 98. 108. 140. 151. 166. 174. 192. 199. 205. 245. 246. 251. 268. 292. (nam hoc versus loco saepissime nomina personarum collocantur), porro caesura semiquinaria in vv. 25. 38. 43. 55. 89. 97. 100. 101. 127. 130. 135. 154, 157. 164. 173. 177. 195. 211. 219. 224. 267. 279., caesura pedis tertii trochaica in vv. 26. 37. 91. 102. 109. 110. 115. 144. 145. 153. 156. 176. 185. 186. 196. 203. 210. 216. 236. 246. 253. 254. 266. 289. 290, caesura semiseptenaria in vv. 8. 271. 275. Saepius vero fit, ut caesura quibusdam ex causis vel debilitetur vel impediatur. Huiusmodi causas in Homeri carminibus inveni tres, quae in hymno nostro eandem vim caesurarum minuendarum exercent. Impediuntur enim caesurae:

I. particula aliqua copulativa vel adversativa, quas dicunt, (sic in Iliade *α*, v. 9), praesertim quum praepositio et nomen, quod ex illa pendet, caesura sint disiuncta.

II. per elisionem. Etenim per elisionem duae voces tam arte coniunguntur, ut ne hiatus quidem inter eas possit intercedere — cf. Iliad. *α*, v. 2 *μυρί' ἔθηκεν*.

III. per accentus enclisin, quam vocant. Nam si vox enclitica alteram vocem sequitur, hae duae, quod attinet ad rationem metricam, pro una habentur.

Quae homerici versus regulae quantum ad hymnum nostrum pertineant, ut melius intelligatur, apponam tabulam, in qua ex singulis caesuris ista impedimenta collegi:

I.

in caes. semiq.	in caes. p. III. troch.	in caes. post ped. prim.	in caes. semitern.	in caes. semisept.	in caes. bucol.
11. 13. 19.	18. 128.	6. 7. 8.	11. 19. 58.	130. 145.	37.
36. 53. 70.	142. 260.	14. 20. 23.	64. 72. 84.	176. 224.	
71. 81. 110.		26. 31. 34.	91. 126. 137.	236. 290.	
113. 119. 123.		43. 68. 75.	144. 148. 172.		
127. 138. 163.		76. 79. 81.	176. 182. 200.		
174. 181. 183.		88. 111. 113.	217. 221. 240.		
232. 242. 251.		119. 123. 146.			
262. 268.		168. 180. 231.			
		232. 271. 272.			
		280.			

II.

in caes. semiq.	in caes. p. III. troch.	in caes. post ped. prim.	in caes. semitern.	in caes. semisept.	in caes. bucol.
127. 129. 189. 268.	null. exempl.	5. 31. 34. 43. 60. 68. 75. 76. 80. 88. 111. 113. 121. 122. 123. 152. 170. 227. 232. 261. 263. 264. 271. 272. 280.	16. 57. 60. 72. 84. 91. 115. 130. 176. 188. 189. 223. 231. 240. 290.	66. 144. 176. 224. 236. 290.	37. 144. 234.

III.

11. 13. 20. 70. 71. 81. 110. 113. 114. 116. 132. 151. 163. 181. 183. 232. 242. 262. 281.	null. exempl.	8. 14. 20. 81. 121. 139. 150. 163. 201. 232. 257. 269. 272. 284.	11. 153. 176. 182. 194. 221. 240. 275. 289.	144. 176. 224.	37.

vel si numeros computamus:

	in caes. semquin.	in c. p. III. III. troch.	in caes. p. p. I.	in caes. semitern.	in caes. semispt.	in caes. bucol.
I.	23	4	28	18	6	1
II.	4	0	25	15	6	3
III.	19	0	14	9	3	1

Videmus igitur, a nostro poeta versuum caesuras esse adhibitas ex norma homerica, quae descripta est a viris doctis, quos supra laudavi.

De positione.

Ex lege, quae ad omnem Graecorum rem metricam pertinet, syllaba brevis [1] sequente consona duplici vel duabus singulis, sive hae initio vocis sequentis sive in fine prioris initioque alterius vocis exstant, producitur. Ita res se habet apud Homerum et Hesiodum nec non in hymnis homericis. Item in Homeri carminibus et in hymno nostro vocalis brevis producitur sequente consona muta cum ‚μ' vel ‚ν', sed Hesiodus huic legi non obtemperavit duobus locis (Op. v. 567 et theog. v. 319). Ac si consonam mutam sequitur littera ‚ϱ', Homerus fere semper vocalem brevem in Iliade producit — excepti sunt pauci loci veluti Iliad. β, 808; λ, 18 et 41; ξ, 78 alii. At in Odyssea vocalis saepius brevis manet. Idem facit Hesiodus — cf. exempli gratia theog. vv. 7. 26, erg. vv. 3. 8. In hymno nostro duobus tantum locis —

1) cf. Koehn. l. l. pg. 8.

v. 17 et v. 32 — vocalis brevis non producitur. Sequitur igitur hymnographus Homeri in Iliade morem, id est poeseos homericae antiquiorem usum. Ceteri vero hymni, ut recte ait Koehnius, totidem locos exceptos habent quam Odyssea. Vide, quam noster hymnus hoc quoque loco ad poeseos homericae sincerum usum propius accedat quam cetera Graecorum carmina epica a nobis in medium vocata.

De usu dactylorum et spondeorum.

In usu homerico dactylorum et spondeorum animadverti potest, dactylos ob naturam hexametri, quod est metrum dactylicum, multo plures inveniri quam spondeos. Quum vero versus e meris dactylis compositi iusto vivaciores esse videantur, Homerus eos raro admisit. Vix enim quintam faciunt partem: ex. grat. in Iliad. rhaps. *α* exstant versus huiusmodi 120, quos Graeci *ὁλοδακτύλους* dicunt *στίχους*. Eandem rationem praebet hymnus noster, qui 46 versus *ὁλοδακτύλους* habet. Quantopere vero Homerus in pede primo faveret spondeo, iam supra exposuimus, quum de caesura post pedem primum posita dissereremus, nunc addendum est, hoc spondeorum invehendorum studium in universam versus particulam priorem cadere. Aeque in hymno nostro spondeum legimus in primo pede ter et octogies, in secundo pede octies et sexagies, in utroque pede simul ter et tricies, denique in tribus versus pedibus prioribus octies. Raro autem plures quam tres spondei apud Homerum in eodem versu exstant, uti quatuor Iliad. *α*, 439. In hymno habemus duos versus cum quatuor spondeis, vv. 121 et 192, qui insuper in ultimo versus pede, qui vel trochaeum vel spondeum habet, spondeo utuntur. Spondeum a quinto hexametri pede alienum esse in ludo puer iam non ignorat. At Homerus si spondeum illo loco admisit — et admisit aliquoties veluti in Iliad. rhaps. *α* ter et tricies, in *β* quater et quinquagies, in *γ* vicies, in *δ* bis et tricies — fere semper certo quodam consilio facit, fortasse ut tardo versus exitu rem esse tardam significet vel ut rei magnitudinem ac virorum maiestatem [1] describat vel ex alia eiusmodi causa.

1) Aeque Goethius noster in carmine celeberrimo, cui inscriptum est ‚Hermann & Dorothea‘, in cant. quarto (Euterpe) v. 21 —, der würdige Burgemeister.‘

I. autem Bekkerus (l. l. pg. 148) iam recte affert a non minori versuum numero spondeum quinta sede posse moveri, si pro εἰδυῖα voce forma bona ἰδυῖα scribatur, ante quam propter digammum initiale vocalis proximae vocis ultima abiiciatur necesse non est, porro si in vocibus εὖ, παῖς, Ἀργειφόντης, ἀνδρειφόντης diphthongi in duas vocales dissolvantur. In hymno nostro exstant 27 versus spondaici. Ac puto, quod Bekkero in Homeri carminibus licuerit, id nobis in hymno ὁμηρικωτάτῳ itentidem licere. Quare coniicio in versibus 117. 121. 129. 213. 262. ultimae voci Ἀργειφόντης quinque syllabas esse tribuendas — id quod librorum manuscriptorum scriptura perpetua in medio relinquitur. Unde efficitur, ut hi versus desinant esse spondaici. Aeque in v. 44 puto esse legendum κεδνὰ ἰδυῖαν (pro vulgata lectione κεδν᾽ εἰδυῖαν) et in v. 134 κεδνὰ ἰδυίῃ (pro vulgata lectione κεδν᾽ εἰδυίῃ). Quas mutationes vocum εἰδυῖαν et εἰδυίῃ iam proposuit Hoffmannus (l. l. II pg. 188), quamquam nimia digammi affectatione commotus est, ut mutaret nulla alia addita causa nisi digammi. Etenim ille — id quod infra fusius exponam — veram digammi naturam, qualis sit apud Homerum ac poetas homericos, quamque primus[1], quoad scio, Gg. Curtius docuit (cf. Grundzüge der griech. Etymolog. 3. Aufl. 1869 pg. 510 et saepius) et post eum uberius exposuit Leskienius,[2] non satis recte videtur perspexisse. Videt enim illam ‚aeolicam' litteram saepius, ubi aut non iam erat aut omnino nunquam fuit. Quare factum est, ut Hoffmannus (l. l. II. pg. 188) in v. 136 scribere vellet ἀλλὰ ἰκνῖα, quamquam radix ἰκ (ἔ-οικ-α) digammum omnino non habet — errat I. Bekkerus quoque de hac voce l. l. pg. 136. Sed de hoc loco infra plura afferamus, ac totus locus insuper corruptus esse mihi videtur.

Huic de mutatione spondeorum et dactylorum quaestioni licet affigere quaestionem de versuum exitu, de quo disserit I. Bekkerus (l. l. pg. 148). Docet enim ille, ab Homero claudi versum voce trisyllaba vel bisyllaba, rarius monosyllaba vel tetrasyllaba vel voce, quae quinque aut sex aut septem habet

1) Windisch l. l. pg. 2.

2) Rationem, quam I. Bekker in restituendo digammo secutus est, examinavit Dr. A. Leskien, Lips. 1866.

syllabas. Neque aliena est hymni nostri ratio. Quod ut clarius intelligatur, apponam tabulam, in qua hymnum cum Homeri Iliadis rhapsodiis α, ι, σ conferam.[1]

Desinit versus in vocem, quae habet syllabas:

	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.
α	22	155	275	116	39	—	—
ι	18	195	323	132	44	4	—
σ	12	175	261	91	63	3	5
hym.	9	77	111	61	34	—	1

De productione brevium et correptione longarum syllabarum.

cf. Spitzner. l. l. pg. 14—87.

Hoffmann. l. l. I. pg. 87—168.

Multae fuerunt virorum doctorum de brevium syllabarum finalium productione nec non de correptione longarum syllabarum finalium apud Homerum. Ac priore quidem tempore doctrina metricae licentiae admodum inepte adhibita omnes difficultates posse expediri viri docti statuebant. Quam doctrinam prorsus respuit Westphalius (Allgem. Griech. Metrik, 1865, pg. 278). Contra eum disputavit Duentzerus (in Fleckeiseni Annalibus a. 1867 pg. 353 sqq.). Mihi quidem videtur verum quodammodo in medio esse positum. Audi modo! Etenim aeque apud Homerum ceterosque Graecorum poetas epicos atque in hymno nostro in arsi, si altera deest explicatio, syllabam brevem finalem posse produci puto, quamquam non ignoro ab Hoffmanno (l. l. II. pg. 189) eiusmodi productiones sola arsis vi in hymno nostro effici negari. Nam si id, quod apud Homerum omnes concedunt, statuimus — neque ulla re defenditur — in v. 199 opus non est emendationibus Barnesii ‚ἵνα κεν', Hermanni ἔσχ' ἄχος, οὕνεκ' ἄρα — quam Hermanni coniecturam Hoffmannus comprobat —, sed intactus manet versus, qualis in libris manuscriptis omnibus exstat:

ἔσχεν ἄχος, ἕνεκα —

Atque ut arsis vim producendi alia ex causa probem, quaero, quomodo Hoffmannus explicare velit v. 244. hymn. n.

1) Numeri, quos computavit I. Bekkerus hom. Blätt. pg. 148, non prorsus recti sunt. In Iliad. rhap. α ipse versus computavi. Apud Bekkerum singuli versus non rectam efficiunt summam.

νῦν δέ σε μὲν τάχα γῆρας ὁμοίϊον ἀμφικαλύψει — de quo, quantum scio, nihil dixit, fortasse quia cum eius doctrina ille non convenire videbatur. Quem versum nullo modo potes recte metiri, nisi statuis in arsi brevem syllabam ut finalem ita omnem posse produci. Eodem modo explicatur v. 67, ubi vocis *μετὰ* ultima syllaba in arsi est producta. Quam productionem apud Homerum quoque usitatissimam ante vocem *νέφος* male explicat Hoffmannus (l. l. I. pgg. 135 et 150) eo, quod dixit, vocem *νέφος* pristino tempore a binis consonis incepisse, quarum prioris ‚*δ*' vel ‚*κ*' — confert enim voces *κνέφας* et *δνοφερὸς* — tamquam umbram restitisse, quae suffecisset ad producendam vocalem vocis proximae ultimam. At linguis cognatis edocemur, hanc vocem a ‚*ν*' littera simplici incepisse. nam conferas voces sanscritam nab-h-as ‚Dunst', latinam ‚nubes', germanicam (vel potius islandicam) nifl-heimr (unde nomen ‚Nibelungen'), nostram ‚Nebel', et in lingua Slavorum ecclesiastica ‚nebo' ‚Himmel' (Gg. Curtius Grundzüge pg. 276). Neque aliter est iudicandum de v. 119, ubi *δὲ* particula in arsi est producta, non autem propter pristinas binas consonas initiales vocis insequentis ‚*νύμφαι*'. Inepte autem videtur iudicasse Benfeius in lexic. radd. graecc. II pg. 182, qui quamquam hanc vocem ex *νυβ-φη* natam recte cum latino verbo nubendi comparare iubet, tamen insulse ei tribuit gutturalem initialem, quae esset in nostra voce ‚knüpfen' At ‚nubere' est dictum de velato sponsae capite — quare eadem radice vox *νύμφη* utitur atque *νέφος*, quam a ‚*ν*' littera simplici incipere supra diximus. — Eandem productionem admisit Homerus in Iliade *ξ*, 444 in caesura semiquinaria et Odyss. *ν*, 355 in caesura semiternaria, quae est in nostro quoque loco. Huc pertinent quoque productiones ante voces *μέγας* et *μέγεθος*, quas Hoffmannus (l. l. I pg. 155) explicat ex littera ante ‚*μ*' quondam posita, quae postea evanuit, quamquam vir doctissimus ipse non potest facere, quin concedat, in linguis cognatis ne tenuissimum quidem vestigium consonae initialis antiquae exstare — confert enim recte voces Latinorum mag-nus, Germanorum mich-el, quibus addo Gotorum vocem mik-ils et nostram ‚mögen', quae in antiquiore lingua est ‚mag-an' vel ‚mug-an' (‚Macht haben, vermögen, können"). Nulla

igitur consona ante ,μ' in voce μέγας et in iis vocabulis, quae de eadem radice deducta sunt, evanuit. Quare non possumus, quin constituamus ex causa quadam metrica, ut ita dicam, istas productiones esse ortas, nempe arsis vi, quum eae Hoffmanno ipso, Homeri lectore diligentissimo, auctore apud Homerum non nisi in arsi exstent — quod quidem in hymni nostri vv. 26 et 85 pariter se habet. Quocirca iis non assentior, qui has productiones explicant ex natura litterarum liquidarum, quas tam longas esse pronuntiatas illi volunt, quam cuique libuisset. Quamquam id legibus, quas viri illi docti de litteris liquidis docuerunt, bene respondet, tamen non video, quomodo haec productio ad vocis proximae syllabam ultimam producendam queat valere. Eodem puto modo esse explicandam productionem, quae est ante vocem Ῥείη in v. 43. Cuius vocis origo admodum incerta est, quamquam Benfeius in lexic. radd. Graecc. I, 80 opinionem [1] de ea excogitavit. In hymno nostro in tertia arsi, apud Homerum Il. ξ, 203 in eadem arsi et O,187 in sexta arsi ante hanc vocem syllaba finalis vocis proximae brevis est producta. Quae nostra opinio admodum confirmatur hymni versu 25, ubi sola arsis vi syllaba vocis ἔθελεν brevis ante vocalem insequentem est producta. Ac si hoc loco productionem caesurae vi esse factam contenderes, in medium vocarem Iliad. α, 85, ubi productio ultimae syllabae brevis sola arsis vi facta omnem dubitationem e medio tollit.

Ceterum in hymno nostro uti apud Homerum ultima syllaba brevis producitur sequentibus binis consonis (vel in fine eiusdem initioque subsequentis vocis vel in initio posterioris vocis) et una consona, quae est gemina. Productio autem fit gravior, si qua caesura simul sublevatur. Huius rei exempla sunt vv. 171. 199 (in caesura semiquinaria), 20. 76. 79. 105. 125. 150. 259 (in caesura semiternaria), 5. 22. 35. 57. 64. 72. 74. 111. 124. 137. 146. 149. 170. 172. 193. 207. 223.

---

1) Testem vocans Pottium in eius libro, cui inscriptum est Etymologische Forschungen II pg. 178 confert cum sanscrit. voce ,urvî' ex ,urvja'—stirps ,uru' ,breit', — additque ,u' initiale esse amissum, restare autem vim producendi litteram vocis proximae ultimam — aeque πόσθα ,u' vocem amissa ,u' littera eandem originem habere atque sanscritam vocem ,upastha'.

238. 246. 265. 270. 273. 276 (in caesura semiseptenaria), 20. 25. 152. 258. (in sola arsi). Eadem productio fit in thesi, exempli gratia commemoro hymni vv. 188. 202. 222 ac sexcenta alia exempla in promptu habeo. — Pauca dein afferam de v. 231, ubi particulae ἐνὶ secunda syllaba est producta. Reiecta autem de duplici vocis μέγαρον antiqua consona initiali opinione (pg. 23 sq.) possumus sola arsis vi productionem satis explicare. Adiumento est praeterea hoc loco natura ‚ι' litterae, quae postquam in huiusmodi particulis et in dativo singularis numeri antiquis temporibus quondam longa postea correpta fuit, apud Homerum interdum longa est putanda, qua quidem productione in explicando hiatu infra utemur. Haec antiqua productio iam apud Homerum (cf. Iliad. ϑ, 117) moribunda nostro loco servata esse mihi videtur. Sunt enim illa adverbia in ‚ι' litteram desinentia nec non multi Graecorum dativi pro locativis, quos vocant grammatici nostrates, stirpium in ‚ο' terminatarum habenda. Deinde saepissime productio brevium syllabarum finalium explicanda est interitu, ut ita dicam, litterae initialis vocis subsequentis. Cuius rei multa congessit exempla apud Homerum Hoffmannus (l. l. I pg. 133 sqq.). At hoc loco non possum, quin fatear, nonnulla, quae vir ille doctissimus attulerit, mihi probata non esse, quippe quum ille ob nimium novi investigandi studium plura sagacius quam verius dixerit. Plurima autem recte sese habere persuasum habeo. In hymno nostro huius productionis quatuor tantum exempla inveni orta exstincto digammo, nempe ante οἱ (ex σFοι) ‚sibi' vel ‚ipsi' in vv. 9 et 162, ante ἐσϑῆτα in v. 139, ante ἔπεα in v. 184 — quas tres stirpes usas esse digammo infra probaturus sum in disputatione de digammo. Videmus igitur, quantopere annis interiectis et poesi Graecorum epica iam senescente illa Aeolica littera, quam dicunt, vel interdum consona prior, si vox a binis consonis incipiebat, evanescere coeperit. Et hac re ut omnes hymni ita noster propius ad Hesiodi genus dicendi accedunt, vel linguae Graecorum odium et fastidium litterarum spirantium in hymnis homericis aeque atque in carminibus hesiodeis multo maius esse quam in carminibus homericis potius dixerim. Unde elucet, hymnos omnes homericos nostro ὁμηρικωτάτῳ non excepto aetate posteriore

esse ortos quam carminum homericorum particulam genuinam aetate postremam, id est non ante saeculum octavum ante Chr. nat.

Denique est adnotandum, et ab Homero et a nostro hymnographo ‚ν' litteram, quam vocant ephelcysticam, esse invectam, ubi ea opus non est, sed ut brevis syllaba finalis produceretur, si versus ratio syllabam productam posceret, maxime in pede primo, in quo et ab Homero et a nostro poeta spondeum adamari iam supra docuimus. Huius rei exempla ponam vv. 6. 31. 68. 158. 212. Quae si animo tenemus, recte iudicare possumus de v. 284. Libri enim manuscripti omnes exhibent lectionem initio versus *φασί*, quae cum metro non congruit — nam est trochaeus pro dactylo. Quare Matthiaeus in ‚animadversionibus ad hymnos homericos' coniecit *φάσθαι* ‚nam', uti ait, ‚post *εἰ δέ τις εἴρηταί σε* et *μυθεῖσθαι* pro imperativo sequi debet, quid Anchisam dicere vellet Venus, non quid fama ferretur'. Eius coniecturam receperunt Wolfius, Hermannus, Baumeisterus. At tanta verborum mutatione, quae quomodo facta sit non video, opus non est, quum levissima metrum, quod est vitiosum, possit sanari. Etenim Mathiaei verborum interpretationem, si libri *φάσθαι* legerent, veram esse duceremus, sed ex hac re non licet causam loci mutandi petere. Quodsi ‚ν' *ἐφελκυστικὸν* ex more nostri ipsius poetae et Homeri supra exposito voci *φασί* affigimus, versus sine labe est, quem una cum versu proximo sic interpreteris : dic illa memor eorum, quae te dicere iussi : tum profecto dicunt hominem eum esse natum ex nympha', et q. s. Sic lectio tradita servata est.

Paucissima dein dicam de correptione longarum syllabarum finalium ante vocalem vocis proximae initialem. Quae est in thesi tantum quaeque apud Homerum sexcenties invenitur, at in hymno nostro sexies et quinquagies, nunquam autem in arsi, quam in contrario vim producendi habere vidimus.

Extremo loco afferre volo vocis *καλὸς* priorem syllabam, quae ab Homero semper producitur, in hymni duobus locis (vv. 29 et 261) correptam esse — quare Hermannus (Orphic. pg. 817) scripturam ferri non posse putat —, quum decem alii loci exstent (vv. 64. 89. 97. 98. 156. 181. 183. 229.

266. 270), ubi ille est producta ex Homeri more. Quum vero Hesiodus duobus quoque locis (Op. v. 63 et Theog. v. 585 — quos Hermannus in Opuscul. VI, 1. pgg. 178 et 224 mutavit — at recte Göttlingius ei non obtemperavit), poetae Attici vero semper vocis καλὸν priorem syllabam corripiant — cf. Hermann. ad Orphic. pg. 817, Brunck. Gnom. pg. 311 Schaef., Hermann. ad Sophocl. Philoct. vv. 1304 et 1381 —, puto, ex quo tempore, Hesiodi opera et hymnus noster condita sunt, antiquam syllabae productionem paullatim evanescere coepisse — id quod iam in praepositione ἐνί vidimus. In lingua enim Sanscrita (cf. Gg. Curtii Grundzüge ed. test. 1869 pg. 134) respondet voci nostrae vocabulum kal-ja-s ‚gesund‘, angenehm‘; radix igitur ‚kal‘ per ‚j‘ est propagata, cuius vestigia habemus in duplici Graecorum ‚λ‘ (veluti κάλλιστος, τὸ κάλλος) assimulatione nata. Quare Graecam quoque stirpem ‚καλj‘ possumus ponere, quae duplici via est mutata: vel in καλλ vel in κᾱλ, consona ‚j‘ igitur abiecta et productione vocalis adhibita, quam grammatici nostrates dicunt ‚Ersatzdehnung‘. Stirps autem auctior ‚κᾱλ-‘ apud Homerum ceterosque poetas epicos exstat. At prisco iam tempore syllaba κᾱλ interdum corripiebatur — cuius usus testes sunt duo isti loci et Hesiodi et hymni nostri. Unde apparet, repudiandam esse Ilgenii coniecturam in v. 29 ‚τῇ δὲ πατὴρ δῶκεν καλὸν γέρας‘, ac fere nullius esse pretii poetae excusationes, quas Baumeisterus ad v. 29 affert.

De hiatu.

cf. Spitzner. l. l. pg. 106—161.

Hoffmann. l. l. in quaestt. IV. et V (vol. II pg. 1—150), ubi de digammo agit.

Quaestio de hiatu homerico est sane difficilis ac tanta, ut peculiarem conficere libellum opus sit ei, qui de hiatu copiose dicere velit. Quare nos quidem leges tantum praecipuas Homeri proferamus, quae, ut summam huius libelli nostri particulae praemittamus, hymni quoque nostri normae sunt certissimae. — Optime ait Spitznerus nescio quo loco: ‚Homerus hiatum non fugit, sed vitat.‘ Sunt igitur hiatus apud Homerum, qui excusatione omnino careant — cf. Spitzner. l. l. pg. 136

—150. Nec desunt illi in hymno — uti v. 15 θεῖσα ἑκάστῃ et v. 212 εἶπεν δὲ ἕκαστα, nam vocem ἕκαστος digammo instructam non fuisse docet Gg. Curtius (l. l. pg. 426), qui eam ex stirpe nominis numeralis εἷς, quae est ἑν, et ex pronominis interrogativi vel indefiniti radice antiquissima κα (quae servata est in dialecti Jonum posterioris formis κοῦ, κῶς, κόθεν, κοῖος aliis) superlativi terminatione esse formatam dicit, veluti ἑ-κά-τερος est comparativus. Eodem modo est iudicandum de hiatu in v. 178 ἰνδάλλομαι εἶναι, v. 225 ἤτοι εἵως et v. 230 ἤτοι εὐνῆς (diphthongo non correpta), v. 228 κατέχυντο ἔθειραι, vv. 223 et 230 πότνια Ἠώς, nam vox Ἠώς (cf. Gg. Curtii l. l. pg. 372: in lingua Sanscrita ush-a-s, latine ‚aurora‘ ex aus-ôsa, germanice ôs-tar) decurtata est ex Ἠσώς nullo digammo praefixo. Duae autem sunt causae, ex quibus hiatus vel explicatur vel omnino e medio tollitur ut apud Homerum ita in hymno nostro. Ac primum (I) quidem hiatus tolerari potest ex rei metricae legibus, nempe 1) post vocales productas vel diphthongos in caesura mascula (cf. Iliad. α, 203. 230), 2) deinde post vocales correptas in caesura pedis tertia trochaica (cf. Iliad. α, 565), 3) tum in caesura bucolica (cf. Iliad. ε, 568), 4) denique in caesura post pedem primum (cf. Iliad. α, 39. 532). Secundo loco (II) commemorandum est nos non offendi hiatu, qui ex legibus prosodiae, quam dicunt, excusari possit, nempe 1) si vox prior desinit in vocalem productam, quippe quae amissa una, uti scriptores metrici dicunt, mora corripiatur (ratio haec est: — = ◡◡ ◡◡ minus ◡ fit υ — cf. Iliad. α, 57 — est igitur elisio quaedam non vocalis, sed morae — ac duplex elisio nunquam fit, cf. Iliad. α, 2 ἄλγε' ἔθηκεν). 2) Deinde post certas quasdam syllabas productas, quae tam longe pronuntiantur, ut dicere possis, eas uti tribus moris. Quodsi tertiam moram, ut hiatus tollatur, esse amissam putas, restant duae morae — potest igitur hiatus tolerari et syllaba esse producta. Huiusmodi syllabae productae sunt monosyllaba, quae utuntur vocali producta, veluti dativi numeri singularis nominum substantivorum adiectivorumque et pronominum in-ῃ vel-ῳ desinentes, nec non productiones, quae ex contractione binarum vocalium sunt ortae (cf. Iliad. α, 203; δ, 412; χ, 199). 3) Tum hiatus ferri potest post certas quas-

dam syllabas correptas, uti post nonnulla monosyllaba (veluti πρὸ, cf. Iliad. κ, 224), ac post ‚ι' dativi numeri singularis tertiae declinationis, quod antiquis temporibus fuit vocalis producta; quae productio est servata in lingua latina ‚patrî'. Suffixum enim dativi est in lingua Sanscrit. -‚ê' vel -‚ai' (cf. Bopp Kritische Grammatik der Sanscritasprache § 127). Has omnes leges, quae ex Homeri carminibus et petitae et exemplis probatae sunt, sanctissime servavit et ipse poeta hymni nostri — id quod elucet ex hisce exemplis, quae congessi in tabulam numeris adiectis, quos supra iam legibus apposui:

I.

1) 18. 30. 48. 135. 153. 173. 185. 264. (vv. 93 et 100 hac re vix excusaverim).

2) 10. 13. 85. 113. 123. 133. 139. 140. 164. 171. 178. 181. 189. 199. 222. 232. 262. 266. 280. 287. 292.

3) 10. 64. 82. 101. 119. 130. 136. 147. 148. 165. 171. 187. 190. 198. 210. 226. 256. 286. 293.

II.

1) 1. 9. 11. 13. 18. 22. 41. 45. 47. 54. 56. 62. 82. 85. 100. 111. 118. 123. 125 bis. 142. 147. 148 (una cum synizesi). 152. 161. 163. 165. 169. 178 bis. 181. 182. 189. 190 bis. 198 bis. 199. 201. 206. 209. 214. 223. 226. 252. 256. 262. 276. 293.

2) 18. 21. 30. 63. 100. 173. 264.

3) 171.

Multi vero sunt loci, ubi in eo, quem nos nunc habemus, carminum homericorum conceptu hiatus esse videatur, at revera non sit, quippe quum edoceamur, has voces, quae in nostra nunc scriptura a vocali incipiant, antiquissimo tempore, quo carminum epicorum genus dicendi a rhapsodis in eorum conventibus ad normam linguae in fabulis veterrimis enarrandis adhibitae compositum ac quasi excogitatum est, a consona aliqua spirante initium cepisse. Quae litterae spirantes — ‚s. h. j. w' —, quum mollissimae sint consonae, in Graecorum lingua posteriore aut oblitteratae aut varie mutatae sunt. Quocirca confitendum nobis est, hiatum non esse ante huiusmodi voces, quippe quae eo tempore, quo a poeta carmen

compositum est, litterae illius postea deletae speciem tamquam servaverint.

Quae si animo tenemus, multos hiatus apud Homerum e medio tollere possumus, at non omnes, uti supra iam dixi. Inter illas vero litteras spirantes, quas evanuisse diximus, latissime patuit digammum, quod ob eam ipsam causam maximum cepit detrimentum. Itaque si quis digammum, ubinam locum apud Homerum recte obtinuerit, penitus perspexerit, complures hiatus e medio tollere potest. De qua re multi multa nuperrime disputaverunt; nos autem mittamus hoc loco quaestionem de digammo, quam infra instituturi sumus. Eadem ratione, qua Homerus, utitur hymnus noster, in quo hiatus tollitur, si digammum initiale fuisse volumus, in hisce versibus: 1. 43. 53. 56. 59. 63. 90. 92. 112. 113. 164. 167. 181. 205. 207. 210. 232. 267. 280. Sunt autem nonnulli loci, ubi quum hiatus ob caesuram quandam maiorem ferri possit, digammi certa argumenta desint: in vv. 9 bis. 10 ter. 15. 18. 30. 41. 48. 64. 82. 171 bis. 185. 208, quamquam, ut Hoffmannus recte monet, nihil impedit, quominus his locis digammum esse statuamus.

Accedunt apud Homerum alii hiatus, qui litteris his spirantibus oblitteratis ‚s. h. j.‘ explanari possunt — cf. Hoffmann. l. l. II pg. 5—7. Huiusmodi exempla in hymno nostro exstant duo. Nempe in v. 135 ante vocem *ὁμόθεν* est hiatus, qui quum caesura semiseptenaria particula copulativa *τοί* debilitata sit, non posse ferri videtur. Vox autem *ὁμόθεν* descendit a radice *ὁμο* (quae est in *ὁμοῦ*, *ὁμοῖος* aliis — cf. Gg. Curtii l. l. pg. 300), quam antiquissimo tempore usam esse littera ‚*σ*‘ initiali edocemur cognatarum linguarum formis, veluti exstant in lingua Sanscrita ‚sama-m et sama-ja, in lingua latina simu-l et simi-li-s, in lingua gotica ‚sama‘ derselbe‘, in lingua theotisca antiquiore ze-samane, quod est nostrum zu-sammen.‘ Quae littera ‚*σ*‘ initialis postea in vocibus a stirpe *σαμο-* derivatis est oblitterata, at eius vis id tamen effecit, ut hiatus ante illas voces omnes ferri posset. Altera vox est in v. 153, ubi videtur hiatus esse inter voces *γύναι* et *εἰκυῖα*. Vox *εἰκυῖα* descendit a radice ‚*ἰκ*‘ ‚ähnlich, gleich sein‘, quam Hoffmannus (l. l. II pg. 36) digammo male in-

struit. Consentit cum eo I. Bekkerus (l. l. pg. 136). Quum vero haec vox neque in linguis cognatis neque in ulla dialecto Graecorum digammi vestigia ostendat (cf. Gg. Curtii l. l. pg. 610 sq.), melius mihi videtur putare radicem ,ἰϰ' decurtatam esse ex radice jιϰ, quam una cum radice διϰ ex δjιϰ esse natam Gg. Curtius docet, quamque radicum cognationem iam Boppius (in gloss. sansc. s. v. diç.) suspicatus erat. Radix δjιϰ vel διϰ est in verbo δείϰ-νυ-μι, latine dic-ere, nostrum zeig-en. Tempore vero, quo carmina homerica condita sunt, radix jιϰ cum initiali consona ,j' etiam in usu fuit, unde hiatus nonnulli veluti Iliad. α, 119, Odyss. τ, 384 sunt explicandi. Cuius usus exemplum exstat ex mea quidem sententia in hymni nostri versu laudato γύναι εἰϰυῖα. Quare reiicio Hoffmanni (l. l. II pg. 188) emendationem (quam iam pg. 21 commemoravi), qui in v. 136 ἀλλὰ ἰϰυῖα scribere vult. Quae forma ἰϰυῖα omnino non fuit nec potest esse, nam εἰϰυῖα orta est ex jεjιϰυῖα (uti ἔοιϰα ex jεjοιϰα), reduplicatione, quam vocant, praeposita et duobus ,j' ex Graecorum odio litterarum spirantium exstinctis.

Haec fere sunt, quae de hymni re metrica proferre possim. At si quis nunc interroget, quae summa sit huius quaestionis de re metrica fortasse nimium fusae, ei respondemus, ex omnibus, quas protulimus, rebus sine dubio patere, hymnum cum carminibus homericis in verbis ex legibus rei metricae componendis et eligendis artissimum agere commercium, ne nimium, hymni rem metricam uti totam ita fere singulis in rebus esse homericam. Restat, ut de verborum delectu eandem instituamus quaestionem.

De hymni genere dicendi.

Priusquam singula examinamus pauca sunt afferenda de digammi usu, qualis sit in hymno nostro — quae quidem quaestio medias quodammodo partes inter quaestiones de re metrica et de genere dicendi agit.

De digammo.

Digammum mira, qua semper utebatur, sagacitate in carminibus homericis primus vidit Bentleius, nec tamen ad finem potuit perducere hanc quaestionem. Post eum multi viri docti de hac aeolica littera egerunt veluti incautius Payne — Knigthius, porro Heynius, Spitznerus (qui omnino nullum apud Homerum digammi vestigium agnoscit), Vossius (ad hymn. in Cererem hom. v. 140), melius Thierschius ac bene Hermannus (ad. hymni n. v. 86) et Giesius de dialecto aeolica, a. 1839, l. II cp. III Beschaffenheit und Ursprung der Hauchlaute pg. 224—308. Quorum omnium operibus bene usus est Hoffmannus, qui praeterea Ahrensii libro optimo ,De dialectis Graecis' insigniter est sublevatus. Ex Hoffmanni ,quaestionibus Homericis' (vol. II pg. 1—150) facili opere possumus intelligere, quid de digammi usu homerico sit iudicandum. At quamquam viro doctissimo plurimis locis assentimur, tamen non desunt loci, ubi accuratam et Graecarum dialectorum et linguarum cognatarum cognitionem desideremus. Quod quidem Hoffmanno non tanto vitio est vertendum, quum illo tempore, quo vir doctissimus conscripsit illas quaestiones homericas, ars grammatica linguis cognatis comparatis eximia non tam perfecta esset quam hodie. Etenim sicubi grammaticae comparativae, quam dicunt, cognitione in studiis philologicis omnino sublevamur, id potissimum in quaestione de digammo homerico fit. At caute est agendum, ne extra sobriae quaestionis fines vagemur, quod periculum imminet. Neque I. Bekkerus (cf. Leskienii l. j. l.; Gg. Curtii l. l. pg. 510), qui in

editione Homeri altera (Bonn 1858) digammum ex tot saeculis iterum litteris demandavit [1], id periculum prorsus effugit, quum stirpes fere octoginta digammo instruit. Cautius ac melius Gg. Curtius (Griech. Schulgram. § 34 D) iudicavit. Etenim carmina homerica, quae esse opera multorum poetarum longum per tempus non scripta sed per ora tantum et rhapsodorum et populi divulgata ac tradita Wolfius et Lachmannus optimis docuerunt argumentis, videntur usa esse lingua, quae tum non erat populi, sed quae quum ex epicis carminibus antiquissimis[2] et optimis (quorum ultima ac perfectissima carmina Homeri videntur esse) sumpta tum a poetis (quos nos vocamus rhapsodos) in eorum conventibus ac concentibus est ficta ac formata, ut ad fabularum traditarum argumenta apta esset ac sufficeret. Sic equidem puto ortam esse dictionem, qualis in carminibus homericis nunc exstat. Namque lingua homerica, quamquam Ionum Chiorum lingua, quae ex Herodoti loco inclyto (I, 142) Ioniae dialecti erat species, fundamento usa est, tamen tot habet vocabula, quot nunquam dialectus unius regionis, nedum unius poetae continere potest. Viva enim lingua ad rem quamque describendam non tot idem significantibus vocabulis utitur, sed usus quidam firmus ac delectus verborum certus in ea adhibitus deprehendi potest. Eo autem tempore quo carmina homerica condita sunt, vetus lingua evanescere coepit ac novae iam viguerunt formae. At veteres illae formae una cum argumentis rhapsodis sunt traditae, a quibus, quum ipsi in sermone quotidiano novis uterentur formis, formae veteres ac novae saepius confundebantur[3] ac promiscue sunt admissae. Quare esse supervacaneum videtur, ne dicam ineptum,

---

1) In Homeri carminibus digammum numquam esse scriptum recte contendit Giesius hisce verbis (Giese Ueber d. Aeolischen Dialect. a. 1837 pg. 160): ‚Dass jener Consonant in einigen Exemplaren homerischer Gedichte je geschrieben worden, ist durchaus unwahrscheinlich, denn in diesem Falle würden sich gewiss einzelne Spuren bis zur Zeit der Alexandrinischen Grammatiker erhalten haben.‘

2) Quas usas esse dialecto aeolica Giesius (Ueber d. aeolisch. Dialect. a. 1837 pg. 180 f.) suspicatus est. Unde formas aeolicas nec non vestigia digammi in carminibus homericis esse explicanda ille putat.

3) Similia iam protulit Giesius in celeberrimi de dialecto aeolica libri pgg. 174 sq.

in eiusmodi lingua, qualem esse Homeri docuimus ac poetarum epicorum, qui eum secuti sunt, veluti poetarum hymnorum homericorum, firmam ac semper sibi constantem in verbis ponendis et eligendis rationem postulare. Quod vero in omne dicendi genus apud Homerum nostrumque poetam cadit, id in digammi usum quoque cadat necesse est. Audacius igitur videtur egisse I. Bekkerus in digammo restituendo, quum invehat constantiam in carmina, quae ea egent et egere debent. Ex mea quidem sententia, si sequor Gg. Curtii regulas, sunt quattuor causae, quibus commoveri possumus, ut digammum esse constituamus et apud Homerum et in carminibus, quae ex illius genere dicendi sunt composita atque inter quae hymnus noster sane primum obtinet locum. Primum (I) si versus ratio digammum desiderat, dein (II) si digammum vocum ex eadem stirpe formatarum ratione postulatur, porro (III) si qua Graecorum dialectus digammum vel litteram ex eo natam in omne posterum tempus retinuit, denique (IV) si in linguis cognatis sonus digammi spirans adhuc servatus est. Quae quidem res extrema, qua sola vocem aliquam uti digammo nobis persuaderi potest, accedat necesse est ad unum alterumve trium priorum, quae attulimus, digammi indiciorum, ut res extra dubitationem posita sit. Videamus igitur, quae in hymno nostro exstent formae digammo instructae, si rem diiudicamus ex legibus, quas sobria de Homeri carminibus quaestione viri docti explanarunt.

I) Tres sunt loci, ubi versuum ratione digammum poscitur. Nempe primum si hiatu, qui alia de causa e medio non tollitur, offendimur. Sic habemus v. 1 *ἔννεπε ἔργα*, v. 11 *καὶ ἔργ*, v. 30 *μέσῳ οἴκῳ*, v. 43 *μήδεα εἰδώς*, v. 48 *ἐπευξαμένη εἴπῃ*, v. 53 *ἄρα οἱ*, v. 56 *ἔπειτα ἰδοῦσα*, v. 59 *δέ οἱ*, v. 63 *ἀμβροσίῳ ἑδανῷ* et *ῥά οἱ*, v. 82 *καὶ εἶδος*, v. 90 *θαῦμα ἰδέσθαι*, v. 92 *χαῖρε ἄνασσ'*, v. 112 *εὐτειχήτοιο ἀνάσσει*, v. 113 *σάφα οἶδα*, v. 164 *ἴδε εἵματα*, v. 167 *σάφα εἰδώς*, v. 181 *δὲ ἴδον*, v. 205 *θαῦμα ἰδεῖν*, v. 207 *τε ᾔδει*, v. 208 *ὅππῃ οἱ*, v. 210 *δέ οἱ*, v. 267 *δέ ἑ*, v. 280 *ποτὶ Ἴλιον*. At non sufficit, ut ex hac una re vocem aliquam digammo possimus instruere — opus igitur est etiam uno alterove digammi indicio, quod commemoravimus, quia apud Homerum digammum

non iam ubique exstare in eadem voce, sed moribundum iam esse constat. Sic in hymno voces *ἔργον* (vv. 6. 9. 21. 122), *εἰδώς* (vv. 44. 134. 278), *ὅς* ex eadem radice ac *οἱ* et *ἑ* descendens, *ἀνάσσειν* (vv. 157. 196) digammum non habent, etsi eas uti illa littera infra accuratius ostendemus. Qua similitudine cum Homero commotus est Windischius[1], ut putaret quum in omnibus hymnis tum in nostro digammum ibi tantum esse statuendum, ubi ex Homeri carminibus hymnographus vel versum vel versus particulam sibi petiverit. At videtur ille historiam epicorum carminum Graecorum non satis accurate perspexisse, quae nos docet, et Homerum et rhapsodos ex uno fabularum antiquarum carminibus iam conditarum fonte hausisse. Unde equidem explicare malim hanc hymnorum cum Homero similitudinem, quamquam non nego, multa per casum hic esse facta posse multaque poetam nostrum ex Homeri carminibus ipsi certe notatissimis ac celeberrimis sibi sumpsisse. Attamen alii restant loci, ubi, nisi alia digammi indicia accedunt, non liquet ex hiatu admisso — qui alias fortasse habet excusationes —, utrum hae voces digammo sint instruendae necne. Huiusmodi versus sunt v. 9 *οἱ ἅδεν* (in caes. semitern.), v. 10 *ἄρα οἱ* (in caes. post ped. prim.), *τε ἄδον* (in caes. ped. III trochaic.), v. 11 *ἀγλαὰ ἔργ'* (in caes. bucol.), v. 15 *ἀγλαὰ ἔργ'* (in caes. post ped. prim.), v. 18 *τῇ ἅδε* (in caes. semitern. et product. litt. -*η* in dat. singl. nimia), v. 21 *κουρῇ ἅδεν* (in caes. semisept. et product. litt. -*η* in dat. singl. nimia), v. 41 *μέγα εἶδος* (in caes. post ped. prim.), v. 64 *χροΐ εἵματα* (in caes. buc. et ob ‚*ι*' in dat. singl. num.), v. 139 *τε ἄλος* (in caes. tert. ped. troch.), v. 164 *δέ οἱ* (in caes. post ped. prim.), v. 171 *χροΐ ἕννυτο* (ob *ι* dat. singul.) et *ἕννυτο εἵματα* (in caes. buc.), v. 185 *θεὰ ἴδον* (in caes. semisept.), v. 235 *δέ οἱ* (in caes. post ped. prim.). Alterum digammi indicium metricum, ut ita dicam, est productio, vel potius dixerim non esse corruptam vocalem longam vel diphthongum ante vocem, quae digammo utitur — exempla sunt in hymni vv. 21. 30. 48. 52. Tertium denique indicatur digammum, si ante vocem digammo initiali instruendam vocis proximae syllaba

---

1) In commentatione De hymnis homericis maioribus (Lipsiae 1867) pg. 5 expressis verbis hoc dicit.

finalis brevis, etsi in unam desinit consonam, producitur — sic legimus in hymni v. 9 οὐ γάρ οἱ, v. 139 ἅλις ἐσθῆτα, v. 162 κόσμον μέν οἱ, v. 184 λισσόμενος ἔπεα — quamquam non ignoro, primo tantum exemplo rem extra dubitationem poni, quum productio in thesi fiat, in aliis possis dicere productiones arsis vi esse factas.

II) Alterum digammi signum est ratio vocum ab eadem stirpe formatarum. Cuius rationis quattuor proferre volo species, quibus sex stirpes, quae in hymno utuntur digammo, illustrantur. Ac primum quidem digammum demonstratur, si verbum a vocali incipiens ob eamque causam augmento temporali instruendum utitur augmento syllabico, quoniam pristino tempore incipiebat a digammo, ergo a consona. Sic illustrat vocem ἔργον verbum ἐργάζεσθαι formis uti εἰργαζόμην (ex ἐϜεργαζόμην, ἐεργαζόμην, εἰργαζόμην), ἅδε forma εὔαδε (ex ἔ-σϜαδε, ἔϜαδε, εὔαδε[1]), εἰδὼς et alias huius stirpis formas aoristus εἶδον (ex ἔ-Ϝιδον, ἔιδον, εἶδον), εἷμα forma ἑέσσατο (ex ἑ-Ϝέσσατο[2]), ἄναξ et ἀνάσσειν Alcaei[3] forma ἑάνασσε (ex ἑ-Ϝάνασσε). Deinde digammum indicatur in voce, si verbi eiusdem stirpis quamquam a vocali incipientis perfecto reduplicatio per syllabam praefixa est — sic illustratur vox ἔργον perfecto ἔοργα (ex Ϝέ-Ϝοργα) et ἅδε perfecto ἕαδα (ex Ϝέ-Ϝαδα). Tum digammum initiale est in stirpibus, quibus α, quod vocant privativum, sine littera ‚ν‘ ex ratione stirpium a consona incipientium praefixum est[4] — sic illustratur vox ἔργον voce ἄ-εργος (ex ἄ-Ϝεργος), οἶκος voce ἄ-οικος (ex ἄ-Ϝοικος), εἰδώς voce ἀΐδης (ex ἀ-Ϝίδης-quod Orci nomen apud Homerum est). Denique digammum est statuendum in iis vocibus, ante quas in compositione vocum in vocales desinentium syllabae ultimae mutatae non sunt — sic illustratur vox ἔργον voce δημιο-εργός (ex δημιο-Ϝεργός), εἷμα voce ἐπιειμένος (ex ἐπι-Ϝείμενος). Addere potes voces, quibus ‚ε‘ praefigitur, ut melius pronun-

---

1) De hac voce disputat uberius Giesius De dialecto aeolica pg. 249. sqq.

2) cf. Giesii l. l. pg. 279 sqq.

3) cf. Ahrens de dialect. Graec. I pg. 30.

4) Non ignoro, syllabam αν-esse signum negationis, unde ante consonas α-restat.

tientur, sic ἐέλδωρ ex ἐϜέλδωρ a radice Ϝελδ (cf. Gg. Curtii Grundzüge pg. 502).

III) Tertio loco est dicendum, digammum ostendi formis eiusdem stirpis, quae in dialecto Graecorum aliqua digammi vestigium servarunt[1]. Et hac quidem re decem illarum vocum in hymno nostro digammo utentium stirpes illustrantur. Sic stirps vocis ἔργον formis eleide Ϝάργον et laconica γά-βεργος, stirps ἅδε formis lesbiaca Ϝάδεα ac dorica γάδεσθαι (= ἥδεσθαι- in inscriptione[2] quadam urbis Lebadiae est nomen proprium Γασίας), stirps οἶκος forma boeotica Ϝυκία, stirps εἰδὼς nomine magistratuum quorundam Lacedaemoniorum Βίδεοι vel Βίδυοι[3], stirps εἷμα formis aeolica γέμματα, laconica βεστὸν, cypria ὕεσις, stirps pronominis personae tertiae personalis formis aeolicis Ϝέθεν, Ϝέ, Ϝοί, stirps εἶπον formis lesbiaca Ϝεῖπον et boeotica Ϝῖπον, stirps ἄναξ et ἀνάσσειν formis laconica Εὐρυ-βάνασσα et cretica Βαναξίβουλος.

IV) Etiamsivero uno alterove horum trium indiciorum digammum indicatur, tamen accedat necesse est quaestio, qua demonstratur, radicem stirpis instructam fuisse digammo, quod in aliqua vel pluribus linguis cognatis littera spirante ‚w‘ vel alia huius simili servatum est. Quare statuendum esse puto nullam radicem, nisi in qua lingua cognata digammi vestigium certum exstet, digammo esse instruendam. Ob eam causam in Homeri carminibus Gg. Curtius invenit tantum tres et triginta huiusmodi radices, ego in hymno Veneris novem (fortasse decem), quas nunc prolaturus sum.

1) ἔργον — e radice $\sqrt{}$Ϝέργ, quae est in ἐργ-ά-ζομαι et ῥέζω (ex Ϝεργ-jω per metathesin), in lingua Sanscrita vrâg-â-mi ‚procedo‘, zendice varez ‚wirken‘, gotice vaúrk-jan, nostrum ‚Werk‘[4].

---

1) Exempla petii ex Ahrensii libro celeberrimo ‚De dialectis Graecorum‘, qui prodiit Gottingae a. 1839.

2) cf. Keil Zur Sylloge inscript. Boeot. pg. 554.

3) cf. Schoemann Griech. Alterthümer 2. Aufl. 1861 I pg. 256, qui in medium vocat Plutarch Lyc. c. 17, Xenophon resp. Laced. 2, 2, Pausanias III, 11, 2, Böckh Corp. Inscript. Graec. I pgg. 88. 609.

4) cf. Gg. Curtii l. l. pg. 171; Hoffmanni Quaest. Hom. II pg. 23; Ahrens De dial. dorica pg. 46; Fick Wörterbuch der indogerm. Ursprache (Göttingen 1868) pg. 163.

2) οἱ et ἑ, formae pronominis e radice $\sqrt{\sigma F\varepsilon}$ — unde descendunt pronominis personae tertiae a σφ-incipientes[1] — in lingua Sansc. svas ‚eigen', sva-jan ‚selbst', latine suus (antiquiore tempore souus), gotice svas-ve[2].

3) ἅδε—e radice $\sqrt{\sigma F\alpha\delta}$ —in ling. Sansc. svad-â-mi ‚gusto, delibo, placeo', svâd-u-s, graece ἡδὺς (ex σϝηδὺς), latine sua-vi-s ex suad-vi-s, gotice suti-s, in lingua theotisca suozi ‚süss'.[3] Ex eadem radice descendit quoque adiectivum ἑδανὸς, quod digammo instructum esse videmus in hymni v. 63 — at de hoc versu dubitatur.

4) οἶκος — in lingua Sansc. vêça-s, latine vicu-s, gotice ‚veihs' ‚Dorf'[4].

5) εἰδὼν ει εἶδος et aliae formae e radice $\sqrt{F\iota\delta}$ ortae, in lingua Sanscrita $\sqrt{vid}$ (unde perfectum vêd-a ‚ich merke'), latine vid-e-o, gotice vait, theotisce waiz, nostrum ‚weiss'[5]. Haec stirps apud Homerum ante se hiatum admittit (Bekkerus Hom. Blätt. pg. 133 computat 103 locos).

6) εἶπη — e radice $\sqrt{F\varepsilon\pi}$, in ling. Sanscr. vac' (ergo littera gutturalis in lingua Indogermanorum veterrima quondam valuit, graece in labialem mutata, veluti ἕπομαι e radice $\sqrt{sac'}$, latine sequor, aut πέμπε ex pankan, in ling. Sansc. panc'an, latine quinque), latine voc-o, theotisce wah-an, serbice vik-a-ti, ‚vociferari'. Gutturalis veteris in lingua quoque graeca est vestigium in voce ὄσσα ex ὀκ-ja[6].

7) εἵματα et ἐσθὴς e radice $\sqrt{F\varepsilon\varsigma}$ — Fέσμα fit εἷμα; in ling. Sansc. vas-ê ‚induo', latine ves-tis, gotice ga-vasjan[7]. In hymni nostri v. 285 est κακο-είμενον in compositione.

1) cf. Buttmanni lexilog. I, 58.

2) cf. Gg. Curtii l. l. pg. 366; Hoffmann l. l. II pg. 16 sqq., Ahrens l. l. pg. 31; Fick l. l. pg. 175.

3) cf. Gg. Curtii l. l. pg. 215; Hoffmann l. l. II pg. 18; Fick l. l. pg. 195 sq.; Giese Ueber d. aeolischen Dialect pg. 249 sqq.

4) cf. Gg. Curtii l. l. pg. 154; Fick l. l. pg. 171.

5) Gg. Curtii l. l. pg. 226 sq.; Hoffmann l. l. II pg. 26; Fick l. l. pg. 169.

6) Gg. Curtii l. l. pg. 419; Hoffmann l. l. II pg. 23; Ahrensii d. dial. aeol. pg. 83. 171. 226; Fick l. l. pg. 158.

7) Gg. Curtii l. l. pg. 351; Hoffmann l. l. II pg. 20; Fick l. l. pg. 165; Giese l. l. pg. 279. sqq.

8) ἆλις e radice $\sqrt{Fελ}$ aut $\sqrt{Fαλ}$ ‚drängen', in ling. Sanscr. $\sqrt{var}$, graece in voce ἀλ-ία ‚die dicht gedrängte Masse'[1].

9) ἄναξ et ἀνάσσειν. Respuendum est id, quod Benfeius (lex radd. graecc. II pg. 186) excogitavit de voce ἄναξ, quam conflatam esse putat ex ἀνά praepositione et radice κτι (in ling. sanscr. $\sqrt{\kappa shi}$ ‚herrschen', ergo ἄναξ = ‚Ob-herrscher). Multo melius iudicium tulit nuperrime C. Angermannus in commentariorum Gg. Curtii grammaticorum (quibus inscriptum est, Studien zur griech. und lat. Grammatik) vol. III fascic. prim. pg. 117—122. Etenim ille confert radicem zendic. $\sqrt{van}$, quae significat ‚schlagen, siegen' vel ‚schützen, lieben' (unde part. perf. vânnus ‚günstig' — l. l. pg. 118). Significaret igitur antiquitus ἄναξ tutorem et ἀνάσσειν ‚tutorem esse' — id quod posteriori vocis significationi optime congruit. Persuasum habeo vocem quoque

10) Ἴλιον digammo esse instruendam, quamquam probabilem eius etymologiam neque quisquam proposuit, quoad scio, neque ipse proferre possum. At apud Homerum tot sunt digammi vestigia, ut solo linguarum cognatarum testimonio egeamus ad rem plane explicandam.

His igitur de digammo praeceptis cognitis assentiri possumus Hoffmanno (l. l. II pg. 188), quum legat in v. 6 πᾶσι δὲ ἔργα, quippe quam scripturam codices Moscoviensis et Ambrosianus exhibeant, aeque in v. 44 κεδνὰ ἰδυῖαν et v. 134 κεδνὰ ἰδυίῃ, non autem, quum contra librorum omnium auctoritatem mutet v. 167 ἰδὲ εἵματα (quod in textum Baumeisterus recepit contra codic. Moscoviens. auctoritatem, cui equidem cum Windischio summam habeo fidem deque quo Baumeisterus pg. 95 iniquum iudicium tulit) et v. 169 βοῦς καὶ ἴφια (ἴς vox quamquam interdum digammo utitur, tamen id hoc loco restituatur necesse non est, quod hiatus ob caesuram post pedem I ferri potest.

Vidimus igitur in hymno nostro vestigia digammi vivi exstare ex legibus iisdem, quae in carminibus homericis deprehenduntur. Quare factum est, ut Hermannus in editione hymnorum homericorum sua in commentario ad v. 86 nostri hymni

---

1) Gg. Curtii l. l. pg. 502.

sententiam suam de digammo exponeret. Tota autem disputatione nostra de digammo naturam hymni homericam demonstrari contendere possumus. Si quis plura dicat, ignorat historiam epicae artis apud Graecos, qua maxime probabile fit, carmina epica minora, quamquam Homeri magnis ac paene divinis carminibus reguntur ac ducuntur, tamen non ex illis quasi exscripta esse — id quod Windischius libello suo a nobis saepius laudato demonstrare voluit —, sed ex illorum imagine optima esse composita atque eadem, qua carmina Homerica, lingua epica firmis legibus munita uti. Quae firma lingua epica posteriore tempore magis magisque tamquam obrigescere coepit ac deinde per nonnulla saecula eadem fuit — id quod in carminibus Islandicorum epicis factum esse nemo negat. Usum vero digammi sibi ipsi non constantem explicandum esse puto ex duplici quasi lingua, qua poetae illi epici utebantur, nempe et lingua in carminibus epicis exercitata formulisque certis circumscripta et oratione in usu quotidiano adhibita. Ex utraque vocum formae certis legibus non observatis admittebantur, ex altera formae antiquissimae digammo instructae, ex altera formae, in quibus digammum iam obmutuerat. Per se ipsum autem intelligitur, hoc in variis carminibus varie sese habere ac multa illorum carminum propius ad genus epicae artis posteriore tempore vigens, hesiodeum dico, accedere. Id quod in nonnullis hymnis homericis facili opere potest cognosci, at in hymno nostro, quem fere eadem qua Homerum uti lingua videt qui eum obiter tantum cum Homeri carminibus comparet, sunt pauca vestigia. Quocirca nemo, qui carminum homericorum genus dicendi novit, requiret, ut hymni dictionem quasi homericam exponam — namque tum grammaticam dialecti homericae condere mihi opus esset. Ac quia Koehnius in ‚quaestionibus metricis et grammaticis de hymnis homericis‘ (Halis 1865) paene omnes hymni nostri formas homericas congessit — ad quem reiicio eum, qui exempla singula cognoscere velit —, restat, ut demonstrem, quam paucis locis hymnus ab Homeri dictione recedat. Unde multo brevior fiet haec de dicendi genere disputatio quam de re metrica, de qua fusiore disputatione opus esse putabam, quum res esset difficilior ac minus aperta. Qua in

re, quum pauca sint, paene omnia Koehnius, Fietkavius, Windischius congesserunt, e quorum libellis atque ex hymno ipso singula petam. At id unum volo praemittere, nos iam in perlustrando Koehnii libello edoceri, hymnum in Venerem inter omnes hymnos homericos ab usu homerico in vocibus formandis et eligendis ponendisque minime recedere. Quod ut confirmem, afferre volo versus, quos Windischius (l. l. pgg. 41 et 42) Homero subductos esse contendit. Quum vero ego cum illo de tota hymnorum imitatione homerica — quam ille fere sine iudicio factam esse vult, quum equidem et ab Homero et ab hymnographis ex eodem fonte epicae dictionis traditae multa esse petita contendam — non consentiam, libet alium ordinem atque illius instituere. Mutuatus est enim hymnographus undecim tantum versus totos ex Homero, qui sunt: 1) v. 35 = Odyss ι, 521. 2) v. 60 = Iliad. ξ, 169. 3) v. 61 = Odyss. ϑ, 364. 4) v. 62 = Odyss. ϑ, 365. 5) v. 63 = Iliad. ξ, 172. 6) v. 68 = Iliad. ϑ, 47. 7) v. 99 = Iliad. υ, 9. 8) v. 143 = Iliad. γ, 139 9) v. 163 = Iliad. σ, 401. 10) v. 184 = Odyss. χ, 311. 343. 366. all. ll. 11) v. 235 = Iliad. β, 5; κ, 17 all. ll. E quorum versuum commercio sunt movendi vv. 68. 184. 235, qui formulas praebent epicas tritissimas ac versus spatium implentes. Has puto et Homerum et poetam nostrum e formulis poeseos epicae traditis sibi petiisse. De versu 143 potest dubitari. At ceteri novem versus (vv. 35, 60—63, 68, 99, 143, 163) verborum contextu non modo non postulantur, sed turbant etiam bonum sententiarum ordinem vel supervacanei sunt, potissimum vv. 60. 61. 62. 63, qui loco hymni omnino corrupto exstant, ac v. 63 iam a Baumeistero ob languidam sententiam textu est motus. Ex quibus causis verisimile — non dixerim certum — est, hos novem versus ab hymni argumento esse alienos, fortasse a rhapsodo exempli gratia ex Homero petitos ac postea per errorem textui subiunctos. Quod vero pristino iam tempore factum esse necesse est, quo hymnus etiam cantabatur nec iam litteris erat demandatus. Aliter est iudicandum de decem aliis versibus. In his, qui fere homerici sunt, solis luce est clarius, rhapsodum, qui hymnum confecit, Homerum consilio esse imitatum aut cum eo ex eodem hausisse fonte. Sunt autem hice versus: 1) v. 59 = Odyss. ϑ, 363. 2) v. 98 =

Iliad. *υ*, 8 (fortasse his versibus plane ex Homeri norma formatis interpolatores sunt commoti, ut duos, quos supra commemoravimus, locos v. 60—62 et v. 99 ex Homero peterent atque hymni textui subiungerent). 3) v. 105 = Iliad. *ω*, 558 aut Odyss. *κ*, 498. 4) v. 109 = Odyss. *π*, 187. 5) v. 118 = Iliad. *π*, 183. 6) v. 139 = Odyss. v. 136. 7) v. 193 = Odyss. *δ*, 825. 8) v. 215 = Odyss. *ε*, 150. 9) v. 234 = Odyss. *ϑ*, 298 10) v. 238 = Odyss. *λ*, 394.

Quod vero Windischius (l. l. pg. 42 sqq.) contendit, hymnum abundare hemistichiis formulisque homericis (quorum centum septuaginta quinque computat), id mihi non probatur, quoniam has formulas, quae fere semper ex substantivis et adiectivis ornantibus, quae vocant, constant, puto manasse ex epicae poeseos firma loquendi ratione. Ergo in omnibus hymnis homericis hae formulae deprehenduntur, at ex diversis argumentis varioque dictionis colore numerus sibi non constat. Ob eandem causam omnes huiusmodi formulas enummerare supersedeo — lector eas ex Windischii libro cognoscet vel plurimos in legendo Homero facile inveniet —, exempli gratia afferre volo hasce: *καταϑνητῶν ἀνϑρώπων* (v. 3 et Iliad. *ζ*, 123), *ἐϋστεφάνου Κυϑερείης* (v. 6 et Odyss. *ϑ*, 288), *αἰγιόχοιο Διὸς* (v. 8 et Iliad. *α*, 222), *δῖα ϑεάων* (v. 28 et Iliad. *ε*, 381) alias. — Bene autem affert Windischius poetam nostrum Homeri vestigia legisse in hisce versibus: 1) v. 1 = Odyss. *α*, 1. 2) v. 74 = Odyss. *κ*, 479. 3) v. 87 = Iliad. *σ*, 401. 4) v. 103 = Iliad. *ζ*, 476 — 477. 5) v. 123 — 124 = Iliad. *π*, 156 — 157; *λ*, 479. 6) v. 131 = Odyss. v. 324. 7) v. 132 = Odyss. *δ*, 64. 8) v. 194 = Odyss. *ε*, 347. 9) v. 203 — 204 = Iliad. *υ*, 234 — 235. 10) v. 207 = Iliad *ω*, 105. 11) v. 224 = Iliad. *ι*, 446. 12) v. 247 — 248 = Iliad. *π*, 498 — 499. 13) v. 281 = Odyss. *ι*, 502 — 503.

Sunt praeter totum hymni nostri dictionis colorem *ὁμηρικώτατον* hae fere similitudines, quae maxime in conspectum veniunt. Restat igitur, ut ea, quae in hymno non sunt homerica ac quae ad alterum poeseos epicae genus, hesiodeum, propius accedunt, commemoremus.

Ac primum quidem afferre libet a Fietkavio (l. l. pg. 28) tantum viginti quatuor voces — e quibus Windischius l. l. pg. 47 duas, sed unam inepte, abstulit — in hymno esse inventas,

quae apud Homerum non legantur. Sunt autem haece: *διιπετέας* (v. 4), *τρισσὰς* (v. 7), *σατίνας* (v. 13), *ἁπαλόχροας* (v. 14), *τιμάοχος* (v. 31), *προκάδων* (v. 71), *σύνδυο* (v. 74), *εὐγνάμπτας* (v. 87), *εἰσοπίσω* (v. 104), *χαμαιγενέων* (v. 108), *εὐτειχήτοιο* (v. 112), *ἀμφὶ — ἐστεφάνωτο* (v. 120, in tmesi), *ἄκτιτον* (v. 123), *βαρυφθόγγων* (v. 159), *βιοθάλμιος* (v. 189), *ἐπιοινοχοεῦσι* (v. 204), *νηλειὲς* (v. 245), *καματηρὸν* (v. 246), *ὀάρους* (v. 249), *ἐροέντων* (v. 263), *ἀζάνεται* (v. 270), *ἀμφιπεριφθινύθει* (v. 271), *καλυκώπιδος*, (v. 284). Hymnus igitur noster continet in 293 versibus voces viginti tres non homericas, ergo unam in duodecim vel tredecim versibus. Appono Fietkavii tabulam[1], e qua vides, nullum alium hymnum tantopere vocibus non homericis carere atque nostrum:

Hymn. in Apoll.	continet in vv.	546	voces non hom.	71,	itaque unam in vv.	7
„ „ Merc.	„ „ „	580	„ „ „	183	„ „ „ „	3 1/5
„ „ Vener.	„ „ „	293	„ „ „	23	„ „ „ „	12 3/4
„ „ Cerer.	„ „ „	495	„ „ „	94	„ „ „ „	5 1/4

At ne dicere quidem potes, has viginti tres voces maximam partem deberi Hesiodo, quia ex iis modo sex (*ἁπαλόχρως — ἐρόεις — νηλειής — ὄαρος — τρισσός — χαμαιγενής*) apud Hesiodum inveniuntur. Addere velim in hymno epitheton *πολύχρυσος*, quo Venus exornata est, identidem admissum esse apud Hesiodum Theog. *v.* 980, Erg. *v.* 521, Scut. *vv.* 8 et 47, in fragm. 79, v. 3. At hymnus in Apollinem inter voces non homericas 71 voces hesiodeas 15, hymnus in Mercurium inter 183 35, hymnus in Cererem inter 93 18 continet. Quocirca si pro versuum numero computas voces hesiodeas, noster hymnus est, qui paucissimas contineat voces hesiodeas inter voces non homericas. Unde colligi potest, hymnographum nostrum et Hesiodo minimum debere et ab eius ratione carminum componendorum remotissimum esse[2]. At inveniuntur nonnulla,

1) Quam correxi duobus locis, nam (cf. l. l. pg. 20) vox *ἄπλητον* non exstat in hymni Ven. v. 83, sed in hymno in Cererem v. 83, ergo in hymno priore sunt 23 vocab. non hom., in altero 94 huiusmodi voces.

2) Quare inepte iudicasse mihi videntur „sodales societatis philologae Ienensis' in specimine editionis Goettlingio oblato (1865), in quo carmen nostrum e ratione Goettlingii in Hesiodi Theogonia potissimum adhibita in quatuor partes diviserunt idque ex ingenio carminum hesiodeorum conscriptum esse censent — cf. Windisch l. l. pg. 47—48. Mihi quidem facultas libri inspiciendi data non erat.

quamquam perpauca, ubi negari nequit, ad poeseos hesiodeae, ut ita dicam, ingenium et rationem poetam nostrum accedere. Etenim si ingenium hesiodeum Homero respecto certioribus finibus describere velimus, has fere res exstare inter utrumque diversas inter viros doctos constat, quamquam Hesiodus quoque Homeri loquendi modo fundamento est usus: „Poesis hesiodea est saepissime exilis ac dura, in qua argumenta nituntur doctrina, quippe quum poeta docere quam delectare malit. Unde fit, ut sermo hesiodeus nonnunquam sit durus ac paene frigidus contineatque multas voces e variis Graecorum dialectis sumptas.“ Quocirca saepius orationis homericae lene et aequabile flumen desideramus. Accedit quod Hesiodus multas voces novas — Fietkavius computat voces 530 — ad suum ipsius arbitrium finxit vocesque non raro significatu, uti dicunt, translato admisit nec non per facetiam Doriensium multa e contrario denotat, ita ut saepius singulae sententiae sine ulla fere iunctura sese excipiant et Homeri eximia describendi efficacia et continuitate careant. Quodsi in universum iudicamus, ad utrius, Homeri an Hesiodi, ingenium ac dicendi rationem hymnus noster propius accedat, ne uno quidem puncto temporis dubitare possumus profiteri Homeri dictionem ac sentiendi modum poetam nostrum maxime sequi. Ut exempla ponam, sic in formando genitivo numeri singularis masculinorum primae declinationis poeta noster sequitur Homerum, ita ut casum istum semper in -*εω* formet — *Ἀγχίσεω* in vv. 53 et 126, *Ἑρμεω* in v. 148 —, non in — *αο*, quam formam Hesiodus admisit. Porro in *v.* 214 forma *ἔοι* exstat, qua Homerum saepissime, Hesiodum nunquam usum esse Kruegerus docet in gram. dial. graecar. 38, 2, 4. Deinde adnotandum est, in hymno nostro ex more Homeri dativi singl. num. II. declinationis formam in — *ου* desinentem saepius exstare quam in — *οιο* exeuntem, quum Hesiodus ceterique hymni homerici utraque forma perinde usi sint. Idem est iudicandum de dativo plural. num. declinat. II, quippe quum poeta noster eam ex more Homeri in — *οισι* in vv. 52 bis, 54, 106, 204, 259, non ex more Hesiodi in — *οις* formet. Extremo loco affero, vocem *τοιοῦτος* homericam, quae neque apud Hesiodum neque in ceteris hymnis homericis legitur, in hymni nostri v. 241 exstare

— quamquam non nego hoc per casum factum esse posse.

At ad Hesiodum quoque paucis in rebus hymnus propius accedit. Etenim quis est quin videat, compluribus locis (veluti initio hymni in describendis tribus deabus a Venere non victis) poetam consilio artificiosius ac putride esse locutum eumque ex more Hesiodi sententiarum argutarum acumine gaudere (veluti in oratione Anchisae inde a versu 145) nec non eum subinde docere (veluti in vv. 40 sqq., 97 sqq. all. ll.) ac proferre sententias brevitate augentes gravitatem aeque atque Hesiodum in carmine didactico (veluti in vv. 177 — 179 in oratione Veneris). Denique adnotandum est, a nobis saepius orationis aequabilitatem desiderari nosque offendi orationis digressione nimium longa. Cuius rei luculentissimum exemplum est in Veneris oratione inde a v. 191 usque ad finem.

At exceptis his, quas descripsimus, hesiodeae poeseos proprietatibus confitendum est, prae ceteris hymnis carmen nostrum „iucunda enarratione mollique eloquentiae vere ionicae flumine splendere.“

Apte vero non diceres, si consuetudinem exquirendi, unde verba sint ducta, quae cernitur in hymni vv. 198 et 199, putares esse hesiodeam, quum Homerum idem fecisse testes sint inter alios locos versus Odyss. τ, 260. ψ, 19, 6, 73. Contra e similitudine theogon. v. 582 recte putares versum hymni quintum tribuendum esse hesiodeae dictioni, cuius vestigia praeterea exstant in hymni v. 258, quocum conferatur theogoniae versus alter. Nec non F. Rankius (in Hesiodi Scuti Herculis editione pg. 360 — 362) affert duo exempla, quibus hymni loci duo illustrantur, nempe Scuti ν. 8 cum hymni v. 175 ac Scuti ν. 204 cum hymni v. 120 conferri vir ille doctissimus iubet. Nolo dein silentio praeterire, hesiodeum, quem antiqui critici iam in Homero notarunt[1], *χαρακτῆρα* deprehendi quoque in hymni versibus 93 et 94, ubi nomina, „sine ulla vivida descriptione arida et exili enummeratione“ traduntur. At totus hic locus corruptus esse mihi videtur.

---

1) Intelligendus est Nereidarum catalogus, qui est in Iliad. rhaps. σ. Conferantur quoque hymni in Apoll. Delium vv. 30 — 45, in Apollin. Pythium v. 244 — 251.

Audi modo! Ruhnkenius primus propter tautologiam de Nymphis dictam v. 98 non esse ferendum ut ὑποβολιμαῖον ac repetitum eum videri ex v. 258 vel 285 dixit. Ei assentiuntur Ilgenius (qui praeterea bene adnotavit, interpolatorem, quum tria esse Nympharum genera, silvestrium montanarum fontanarum, sciret ac classem unam hoc loco desiderari vidisset, ignorantem poetae vix in mentem potuisse venire, Nymphas ordine systematico recensere v. 98 ex vv. 258 et 285 compilasse) nec non Matthiaeus, Hermannus, Baumeisterus, Bernhardyus (hist. litt. graecc. II^{3}, 1 pg. 232). Hermannus vero in enummeratione quoque dearum vv. 93 et 94 offendit ac putat vv. 92. 93. 95. 96. 97. 99 poetae, vv. 94 et 98 (fortasse quoque vv. 95 et 96) interpolatori deberi. Equidem cum vv. illis dd. versum 98 esse spurium puto nec non Hermanni dubitationibus incitatus sum, ut vv. 93 et 94 pro adulterinis haberem, vel potius ut putarem, vv. 93. 94. in altera hymnorum exstitisse recensione — quam fuisse Hermanno auctore[1] statuimus quaeque magis, id quod ex vv. 93 et 94 concludo, ex ratione hesiodea epica, i. e. genealogica et didactica, fuit confecta. Unde ac fortasse ex alia quadam theogonia interpolator hos versus hymno inseruit. Etenim si rationem, qua in nominibus enarrandis Hesiodus ceterique carminum epicorum genealogicorum poetae ex more antiquae poeseos sacrae usi sunt, nempe qui in versus spatio quaterna nomina vel terna nomina cum uno epitheto vel bina nomina cum binis epithetis incluserunt[2] — si eam animo retinemus, facile nobis persuadetur, hos duos versus, de quibus agimus, e ratione theogoniae (nempe v. 93 continet tria nomina cum uno epitheto, v. 94 duo nomina cum duobus epithetis) esse compositos et hymno nostro ὁμηρικωτάτῳ inepte ab interpolatore insertos. Nam si vv. 93. 94. 98 ex hymno eiicimus, orationis flumen optimum ac maxime concinnum est: Anchises Veneris formam admiratus eam comparat primum cum dea aliqua superiore vel Olympia in v. 92 — quod ut clarius redderet ex mea quidem opinione interpolator vv. 93 et 94 adiecit —, dein cum dea aliqua inferiore

1) cf. edit. praef. pg. V sqq.

2) cf. Th. Bergk Griech. Litterat. in Ersch u. Gruber Allgem. Encyclop. d. Wissensch. u. Künste Sect. I. Theil 81 pg. 336 not. 40.

in vv. 95 et 96, postremum cum Nympha aliqua, quae medias quodammodo partes inter deos et homines agere apud Graecos putabantur. Quaevis vero harum trium classium pronomine indefinito „τίς‘ introducitur ac cuivis est adiectum enunciatum relativum, quod grammatici vocant. Qui ordo sententiarum optimus interpolatoris versibus 93. 94. 98 male est turbatus. Quocirca puto hos tres versus textu esse movendos.

Adiiciam deinde formulam vere hesiodeam, nempe μιγῆναι ἐν φιλότητί τινος. Homerus enim, ubicunque hac formula usus est, nunquam habet genitivum, quem legimus ineunte Mercurii hymno Διὸς ἐν φιλότητι μιγεῖσα et in hymni nostri v. 150 πρὶν σῇ (adiectivum pretio genitivi est aestimandum) φιλότητι μιγῆναι. Hesiodus autem saepius hanc admisit structuram, veluti in theog. vv. 980. 1005. 1012 all. ll. —

Restat denique, ut singulas examinemus formulas, quibus poeta hymni ab Homeri more loquendi recesserit et ad hesiodeum genus dicendi propius accesserit. Sunt autem ex hymni ὁμηρικωτάτου natura perpaucae formae, in quibus enummerandis maxime Koehnium (l. l. inde a pg. 18) secutus sum.

Atque in prima declinatione cadit genitivus numeri pluralis femin.in — αων veluti ἀγγελιάων, θεάων, ἡμετεράων, ἀγενετάων, quarum formarum usus idem est apud Hesiodum („nisi quod in Scuto, carmine quadringentorum versuum, sex formae in — ῶν contractae sunt“), quum Homerus regulam sequatur, ut praecedente vocali genitivus declin. prim. plur. non desinat in - έων, sed contrahatur in - ῶν veluti παρειῶν, Σκαιῶν, τρυφαλειῶν. Et dativus plur., qui in - αισι apud Homerum saepius cadit, neque in hymno neque apud Hesiodum (excepto uno fragmento n. 222 Goettling.) exstat. Unde concludi potest, non longo tempore post Homerum hanc formationem, quae est antiquissima, evanuisse. At hymnus aeque atque Hesiodus dativum plur. terminat in - αις, quam formam respuit Homerus (nam duobus tantum locis eam admisit Iliad. μ, 284 ἀκταῖς et θεαῖς in Odyss. ε, 119), sic in hymni vv. 190 (θεαῖς) et 249 (αἷς). Videtur igitur hoc loco poeta noster rationem posterioris poeseos epicae sequi.

Inter a d i e c t i v a inveni duo, quae quum ‚apud Homerum semper duorum tantum generum‘ sint, tamen in hymno formant

femininum, nempe ἐύγναμπτὰς (v. 87) et ἀπειρήτην (v. 133). Eundem fere ab Homeri genere loquendi discessum praebet Hesiodus in formandis femin. adiectiv., quarum femininum, quamquam adiectiva ipsa Homero notatissima sunt, tamen ab eo nusquam usurpatur (cf. Koehn. l. l. pg. 32).

Post augmentum syllabicum nonnullas consonas ab Homero vulgo duplicari notum est, veluti ‚ϱ' (ἔϱϱιψεν — est quoque in hymni v. 261), ‚λ', ‚ν', non autem ‚μ'. At Hesiodus quater in voce ἔμμοϱε (Erg. v. 426 bis, theog. vv. 414 et 426) praebet litteram ‚μ' augmenti loco geminatam. Eadem vox ad Hesiodi rationem formata exstat in hymni v. 37. Extremo loco silentio praeterire nolo, ut in ceteris hymnis (in Apol. Del. v. 53, in Apol. Pyth. v. 224, in Cererem v. 329) ita in hymni nostri v. 109 formas pronominis οὔτις negativi, quod vocant, exstare, quod et ab Homero et ab Hesiodo ignoratur. Unde nil certe concludere potes, quippe quum in illis carminibus epicis magnis forte illud deesse queat, at non nego, me valde hac re esse percussum.

Restat denique, ut commemorem perpaucas formas e dialecto Aeolica — nonnullas esse formas doricas apud Homerum non ignoro — petitas sub iisdem fere conditionibus (cf. Giesii celeberrimum librum de dialecto aeolica) in hymno nostro esse admissas atque apud Homerum. Quarum formarum possum proferre hasce: διαπϱύσιοι (v. 19), ἤματα (v. 28. 148. 209. 221. 240. 248), εὖτε (v. 38), μιχθήμεναι (v. 46), γελοιήσασα (v. 49), διαπϱύσιον (v. 80), ἠελίοιο (vv. 105. 256. 272), ἀλφεσίβοιαι (v. 119), πὰϱ (apocop. aeolic. v. 173), ὕπνοιο (v. 180), νόοιο (v. 254), θανάτοιο (v. 269), πότι (v. 280), σεῦ (v. 293).

Haec fere sunt quae et de re metrica et de dictionis genere hymni in Venerem homerici possum dicere. At si oculos ad totam nostram disputationem referimus, licet profiteri, rebus omnibus in medium prolatis tantum, quantum potest fieri in huiusmodi quaestionibus, esse effectum, carmen nostrum et in re metrica et in dicendi genere eadem uti conditione, qua carmina homerica utuntur, exceptis regulis de digammo, quod in hymno paullulo magis evanuit quam apud Homerum. Ergo ars epica paullulo sit provecta necesse est ex tempore, quo carminum homericorum pars ultima ac genuina confecta

est usque ad tempus, quo hymnus est compositus. Unde elucet, hymnum paullo post carminum homericorum partem ultimam ac genuinam — nam de partibus Homeri spuriis non est disputandum — esse confectum, fortasse exeunte nono vel ineunte octavo saeculo ante Christum natum. Neque Hoffmannus (Quaest. hom. II. pg. 190) multum abest ab opinione nostra, quum dicat, se maiorem hymni partem referre ad eam aetatem homericam, qua Iliadis liber nonus confectus sit. At ut hanc legem hymno impositam ac tam certis finibus circumscriptam possimus veram reri, opus fuit Hoffmanno accuratiorem instituere disquisitionem et plura afferre argumenta.

Quibus rebus expositis de hymni argumento accuratius nobis est disputandum, ut iudicium quantum potest certum de carminis origine ferre possimus.

Caput III.

De hymni argumento, patria, poeta.

Neminem, qui attento animo hymnum in Venerem homericum perlegerit, effugisse puto, inveniri multa, quae a Graecorum sapore et enarrandi iudicandique ratione, quam vel optime Homeri carmina respirent ac cuius tamquam legum latores sint, omnino abhorreant. De qua re iam Matthiaeus[1] fusius disputat, ac Groddeckius[2] propter hanc hymni rationem vel a ceterorum hymnorum argumento diversam potissimum scholio ad Iliad. *υ*, v. 307 et Herodot. II, 116 et 117 nixus contendit, hymnum esse frustulam quandam e Stasini Cypriis desumptam. Videamus autem singula et quae Matthiaeus tmone et quae nobis addenda videntur.

Quocirca primum dicendum est, toto hymno Venerem descriptam esse talem, qualis nusquam apud Homerum neque ab ullo Graecorum poeta est descripta. Etenim apud Homerum Venus tamquam Anchisae legitima uxor, quantum inter mortales et immortales licuit, ducenda est[3], quod praecipue ex uno[4] Iliadis loco concludimus, ubi Aeneas cum Achille verbis rixatus gloriatur, se ex dea supera esse natum, Achillem autem ex Thetide, dea marina. Qua in re apparet, eum comparasse matrimonium Pelei cum Thetide, quod legitimum esse omnes concedunt, cum Anchisae et Veneris matrimonio. In hymno vero dea amore incensa quasi meretricula quaedam vulgivaga et impudica Anchisen bubulcum anquirit se-

1) In animadvv. ad hym. hom. pg. 72. sqq.
2) De hymn. hom. reliquiis pg. 41. sqq.
3) Iliad. *π*, 819.
4) Iliad. *υ*, 209.

que ipsam ei offert. Hac re quantopere pudor, ne dicam noster, sed etiam Graecorum veterum laesus sit quis negat? Neque minus ab usitata et a Graecis percepta cognitione Veneris abest, ut ei tutela bestiarum sit commissa, quam ei hymni vv. 69—74 obtrudunt. Haec inter alius deae, Rheae vel Cybeles, munia esse nemo ignorat. Atque ego nequaquam affirmaverim — id quod iam Matthiaeus l. l. respuit — Homeri describendi rationi esse consentaneum, Iovis numine amorem fervidum Veneris animo instillatum esse[1]. Nam quid ad Iovem pertinent res amatoriae aliis obtrudendae? Ipsum vero Iovem saepissime feminarum mortalium amoribus deperiisse Homerus et alii Graecorum scriptores tradiderunt; nusquam autem aliquem, quicunque est, Iuppiter amore inflammat. Nec minus offendit quod Dianae cordi esse[2] iustorum virorum urbem narratur. Quae tutela ei, quoad scio, neque ab Homero commissa est neque ab alio Graecorum scriptore excepto fortasse Pausania[3], qui tradit Dianam apud Phocaeos ut deam *πατρῴαν* esse cultam[4]. Dein Homerus Vestam deam omnino ignorat[5], nam vox *ἑστία* vel ionice *ἱστίη* ei est ‚focus', et quidem in solemni iurisiurandi formula tantum vox apud eum exstat[6]:

ἱστίη τ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος —

Primus Hesiodus Vestam deam, sed uno tantum loco[7] commemorat. In nostro vero hymno locus summus inter deos ob matrimonium repudiatum ab Iove ei conceditur. Nunquam puto Graecos ob naturae leges contemptas ac despectas eam tanto honore affecturos fuisse. — Deinde de Tithono pauca verba sunt facienda. Homerus enim duobus locis[8] eum commemorat, ubi tamen eius nomen tantum affertur. Quamquam non ignoro non ubique esse concludendum, Homerum, quum fabulam si-

1) Hymni. v. 45.
2) Hymn. v. 20.
3) II, 9, 6.
4) Gerhard Mythol. §. 328—346, qui §. 328 not. 6 illum Pausaniae locum affert.
5) Gerhard l. l. §. 285. Preller Griech. Mythol. (a. 1854) I, pg. 266.
6) Odyss. ξ, 159; ρ, 156; τ, 304; υ, 231.
7) Theog. v. 454.
8) Iliad. υ, 237; Odyss. ε, 1.

lentio praeterierit, eam ignorasse, tamen opinor altero loco, quem attuli — Iliad. *v*, 237—, bene perspecto et cum tota illic enarrata fabula coniuncto facile mihi quisque concedet, hac occasione oblata mirum esse, cur Aeneas multa de genere suo narrans fabulam illam lepidissimam tacuerit. Persuasum igitur mihi est, Homeri tempore fabulam inter Graecos non ita pervulgatam fuisse, praesertim quum animo teneres, apud Hesiodum Tithoni nomen semel tantum in theogonia [1] esse commemoratum. Quare ex mythologia, quam dicunt, alius cuiusdam populi illam fabulam manasse non audacter contendere videor. Fortasse hoc ipso, de quo agimus, hymno fabula illa lepida divulgata est ac Graecorum animos occupavit, ita ut Aristophanis tempore Tithoni misera senectus in proverbio poneretur. [2]

Quibus rebus omnibus et cognitis et diu mente agitatis commoveor, ut putem, in fabula nostra multa inesse, quae ad Graecorum ingenium ac sentiendi rationem non expressa sint, sed aliunde in Graecorum fabulas de Venere enarratas irrepserint. His autem concessis animus noster quaerens de populo deque terra, unde illa fabula venerit, ne uno quidem momento temporis dubitavit, quum populus ille, apud quem ea, quae hymnus narrat, gesta esse constat, Troianos dico, tamquam ultro se ipse offerret. Ad hunc igitur populum, si placet, animum advertamus, ut originem fabulae nostrae, quantum possumus, illustremus. Sed haec quaestio, si quis accurate de populo Troico disserere velit, tanta tamque difficilis et obscura est, ut mihi satis visum sit ex iis, quae viri docti de hac re docuerunt, cognoscere, examinare, sumere ea, quae ad propositum utilia esse putavi.

Mansonus enim, vir doctissimus, in libro suo, qui inscribitur ‚Mythologische Versuche‘ (a. 1794) [3], nos docet, omnes fere populos, qui partem Asiae occidentem versus sitam habitarent deque quibus quid constaret, coluisse naturam eiusque vim procreandi vel calorem solis, qui hanc vim excitat et auget, uti deam quandam magnam [4]. Testem vocat

---

1) v. 984.

2) Aristoph. Acharn. v. 688.

3) pg. 5 sqq.

4) cf. praeterea Preller griech. Mythol. I pg. 403 sqq.; Gerhard l. l. §. 78.

ille Lucianum, qui fusius de hac re in libro suo ‚De dea Syria‘ disputat. Quod ut confirmem sufficit nominasse Deam Magnam Hieropoli cultam [1], Astarten, deam Phoenicum [2] et Assyriorum [3] (quae ab his Urania [4] quoque dicta est), Derketonem piscis cauda, quod est signum fertilitatis, notatam apud Babylonios [5], denique illas deas, quas Herodotus [6] commemorat, quum: *καλέουσι δὲ*, inquit, *Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην Μύλιττα, Ἀράβιοι δὲ Ἄλιττα, Πέρσαι δὲ Μίτραν.* Atque eadem dea seu mater deorum seu magna dea culta est apud Phryges nec non apud Lydos sub nomine Cybeles vel Dindymenes matris vel Agdistis [7]. Et apud Troianos in eodem honore fuit mater Idaea, de qua inter alios multos multa attulerunt Klausenius — cuius libro laudato in hac commentatione componenda plurimum debeo —, Engelius, Gerhardius, Prellerus in iis, quos iam in adnotationibus commemoravi, libris, ad quos lectores liceat reiicere. Quae vero numina omnes deae, quas nominavimus, apud populos singulos postea acceperint, pro nostra quaestione nullum habet momentum.

Sed de Idaea quidem dea, si naturam eius bene perspicere volumus, exstat statim quaestio altera eaque difficilior. Etenim ab hac dea simplicem illum characterem, quo naturae summa procreandi vis notabatur, non servatum esse constat. Neque mirum id est, quoniam populi illius, apud quem sum-

---

1) Manso l. l. pg. 18 sqq.

2) Gerhard l. l. §. 218, 10 c; 358 2 d; 370, 3 b; 415, 6. Preller l. l. II, pgg. 44. 116. II. Reg. XXIII, 13:

לְעַשְׁתֹּרֶת שִׁקֻּץ צִידֹנִים

cf. praeterea: Die Grabschrift des Eschmunazar, übersetzt und analysirt von Heinrich Mosner pg. 5: inscript. versic. 14. 15. 18; C. Schlottmann: Die Siegessäule Mesa's, Königs der Moabiter (Halle, 1870), pg. 43 sq. — inscript. versicul. 17.

3) Gerhard l. l. §. 218. 106.

4) Quod collegi ex Gerhardi l. l. §. 218. 10 c; Kreuzer III. 219. 227.

5) Gerhard l. l. §. 1001 T 5 e.

6) I, 131 — locus est iam a Mansone laudatus.

7) Gerhard l. l. §. 146; Preller l. l. I, pg. 504. 594; Klausen, Aeneas u. die Penaten I (a. 1839), pg. 23 sqq.; Engel Kypros (a. 1841) II, pg. 16.

mum illud numen in Idae saltibus colebatur, opiniones ac cogitationes quum per migrantes alios populos tum vicinarum gentium opinionibus mutabantur. Priusquam vero de hac re aliquid afferamus, libet praefari, me in hac tota quaestione in paucorum tantum librorum, quos optimos esse edoctus sum, auctoritate acquievisse. De antiquissima enim gentis troicae conditione docte ac copiose disputavit B. Giseke (Thrakisch-Pelasgische Stämme der Balkanhalbinsel und ihre Wanderungen in mythischer Zeit, Leipzig 1858, et Homerische Forschungen a. 1864, pg. 233 sq.), qui argumentis satis firmis et ex geographica historicaque ratione petitis demonstrat[1], commigrationes populorum antiquissimo tempore nunquam ex Europa in Asiam factas esse, praesertim si terrarum et populorum ordinem historiae lumine illustratum bene perspexerimus. Immo vero contendit vir doctus suo iure ex eo, quod posteriore tempore in Asia vix nomina Dardanorum, Mygdonum, Mysorum, populi autem in Europa inveniantur, posse concludi, populos illos ex Asia in Europam migrasse excepto uno Phrygum populo, qui tantus fuisset, ut partem in Asia remansisse, partem in Europam commigrasse, qui sunt Brygi[2] vel Briges, facile concederes. Herodotus vero aliter sentit[3]. De Phrygibus autem uberius disputat Haasius[4], qui inter alios laudat Osannii librum, qui inscribitur est ‚Midas oder Erklärungsversuch der nachweislich ältesten griech. Inschrift (a. 1830)', et Goschenii ‚De Ariana linguae gentisque Armenicae indole' dissertationem (a. 1847).

Teucri enim, antequam res dilucere coeperunt, sese dispertiisse videntur aeque ac Phryges postero tempore revera deprehenduntur. Exstant enim de his migrationibus adhuc testimonia gravissima Herodoti[5], qui tradit, ante bellum troicum Mysos et Teucros in Europam transgressos Thraciae populos sedibus movisse et dein[6] Paeones esse dictos.

1) §. 1. inde a pg. prima.
2) Herodot VI, 45; Strabo VII, pg. 295.
3) VII, 73.
4) Ersch & Gruber Encyclopaed. sect. III, pars XXIV, pg. 225 sqq.; potissimum pg. 290—293.
5) VII, 20.
6) V, 13.

Qua ex posteriore Herodoti narratiuncula iure nostro nobis sumere possumus, Teucros in Europam translatos mutasse nomen in Paeones[1], at partem, quae in Asia remaneret, insigni Troianorum nomine notatam deinde regnum celeberrimum et spectatissimum condidisse. Quae nostra opinio etiam confirmatur narratione Lycophronis[2], qui tradit, Ilum, Troianorum regem, Thraciam et Macedoniam sibi subiecisse. Quibus verbis nil aliud nisi illam antiquissimis iam temporibus peractam Teucrorum in Europam commigrationem significatam esse puto, nam nihil obstat, quin Ilo rege Troiani in Europam transmigraverint, quoniam Gisekius et nos vidimus, Teucros et Troianos esse partes eiusdem populi. Qua ex tota explicatione id unum pro certo haberi volo, Teucros vel Troianos easdem ac Phryges, Mygdones, Mysos, alios Asiae minoris populos migrationes fecisse ac, quotiescunque loco moti sunt, ab oriente ad occidentem commigrasse. Neque in hac disputationis parte possum facere, quin toto animo assentiar Gisekio, qui[3] hos populos inter Arios et Semites, quos vocant, medias tamquam partes agere demonstravit, id quod E. Curtius[4] quoque contendit. Quibus rebus cognitis restat, ut demonstrem, Troianis iam inde a priscis temporibus cum Phrygibus commercium atque usum fuisse. De qua re uberius disputat Haasius[5], qui adnotat, ab Apollodoro[6] Phrygiam et Troadem inter se confusas esse et illos duos populos apud Homerum socios esse artissime inter se coniunctos[7], et a poetis tragicis nomine Troianorum vel Phrygum unum eundemque populum fuisse notatum[8], ac denique Priamum ab Euripide regem Phrygiae esse dictum[9]. Adde quod Hecuba, Priami uxor, e Phrygia orta est — nam erat

---

1) Gisek. l. l. pg. 2—3.
2) v. 1341 c. schol.
3) l. l. §. 23 pg. 90.
4) Griech. Gesch. I pg. 29 sqq.
5) l. l. pg. 225 sqq.
6) III, 12, 3.
7) Iliad β, 862; π, 719; ω, 515; Odyss. γ, 401; σ, 291.
8) Eustathius ad Hom. Iliad. β, 863; Strabo XIII pg. 573; Schol. ad Eurip. Hecub. v. 4.
9) Euripid. Hec. v. 335 (ed. Bothe).

filia Dymae, Phrygum regis[1]. Haec omnia veterum scriptorum testimonia quamquam non ad verba vera putanda sunt, tamen sine dubio efficiunt, Troianos et Phryges intima familiaritate, utut populos cognatos decet, coniunctos fuisse. Quod si non statueres, veteres illi auctores nugas confabulati esse viderentur.

Iam ne credat quisquam, me congestis de gentis troicae origine ac de primordiis cognatorum populorum locis propositi mei oblitum esse. Quare si concedas, quae de Troianorum populo sunt dicta, mecum consenties, facili potuisse fieri negotio, ut illa dea magna, cui apud Troianos nomen matris Idaeae erat, cum numine Cybeles vel Dindymenes matris, quod apud Phryges Lydosque colebatur, multimodis esset confusa. Quod vero qualeve illud numen et apud Troianos et apud Phryges fuerit, dein quae dea ex ambarum confusione sit orta, examinare supersedemus, quia pro quaestione nostra sufficiet demonstrasse, confusionem sine dubio esse factam. Multis enim in rebus Troianos aeque ac Phryges semper cum cognatis Thraciae gentibus, priscis Asiae incolis, artissimum commercium egisse contendunt optime Bernhardyus[2] et Gisekius[3]. Dea vero magna vel deorum mater apud Thraces fuit *Κότυς*[4] vel *Κοττυτώ*[5], quae est apud Phryges Cybele, apud Troianos mater Idaea. Ceterum ab Homero, qui Troianos, Phryges, Thraces socios fuisse narrat, Priamus Thraciam quandam feminam Aisymae ortam in matrimonium duxisse traditur. Quare ut nomina singulorum deorum[6] ita totam religionem Thracum cum cognatorum et antea coniunctorum populorum saepius esse, ut breviter dicam, confusam non sine veritatis quadam specie concludere possumus. Neque in hoc licet perstare. Etenim antiquissimo tempore in insula Samothraca inter solemnia religionum sacra

---

1) Hom. Iliad. π, 716 sqq.; ζ, 218 sqq.

2) Hist. litt. graec. I pg. 152 sqq.

3) l. l. pg. 3.

4) Gerhard l. l. I §. 145 c. adn. 3, et §. 149; Strab. XVI pg. 721; Aeschylum apud Strab. X pg. 470; Lobeck. Aglaopham. pg. 1014 sqq.

5) Eupolis apud Hesych. s. v.

6) cf. Lobeck. Aglaoph. pg. 1115 sq.

magni dii habitare putabantur. De his diis Lobeckium in Aglaophamo summa cum doctrina dixisse nemo ignorat. Quare id quod vir ille doctissimus docuit quodque nunc per ora tamquam virorum doctorum grassatur, quasi fundamentis firmissimis conditum et argumentis satis gravibus demonstratum nostro iure nobis sumamus. Missis igitur quaestionibus de diis Samothracae solemnissime cultis id unum cum Klausenio[1] et Engelio[2] pro certo affirmaverim, inter cetera Samothracum numina summam illorum deam cum matre Idaea (apud Troianos culta) vel cum Dindymene matre (apud Phryges culta) esse confusam, quippe quum magna similitudo inter has deas intercedere videatur. Quo vero nomine deam Samothracae magnam notare velis, Axiokersam vel Cererem vel *μητέρα ὀρείαν*[3] vel Venerem[4] ipsam, non magni est momenti, quoniam ex mea quidem opinione de coniunctione vel potius secessione harum dearum perditis veterum testimoniis certis explorate iudicari nequit. Sed quam bene veteres quoque scriptores Samothracam et Asiam minorem coniunctas fuisse perspexerint, testis est Stephanus Byzantius, qui sub voce *Ἀρίσβη* haec tradit: *Κεφάλων δέ φησιν, ὅτι Δάρδανος ἀπὸ Σαμοθρᾴκης ἐλθὼν εἰς τὴν Τρῳάδα τὴν Τεύκρου τοῦ Κρητὸς θυγατέρα γαμεῖ Ἀρίσβην.* Et Pausanias[5], Diodorus[6], Lycophron[7] tradunt, Samothracam pristino tempore Dardaniam esse dictam et Dardanum, Electrae filium, e Phrygia in insulam Samothracam migrasse ibique regnasse, postea vero in Troadem migrasse ibique[8] regnum troicum condidisse[9]. Quae narratiunculae nihil aliud significant nisi Samothracam cum Asia minore, potissimum cum Troade commercio fuisse coniunctam. His concessis facile illorum religiones confundi potuisse apparet.

1) l. l. I pg. 30.
2) l. l. pg. 197 sqq. et 310 sqq.
3) Lobeck. Aglaopham. pg. 1225 sqq.
4) Plinius H. N. V § 18 — cf. Lobeck. Aglaoph. pg. 1227.
5) VII, 4, 3.
6) V, 48. 51.
7) v. 13.
8) Lobeck. Aglaoph. saepius, ex. gr. pg. 1220. Schol. Apoll. I, 913.
9) Schol. ad Iliad. *υ*, 215; Diodor. V, 47.

Sed alia denique et gravissima quidem res nunc proferenda est. Accedit enim quod memoriae proditum est, Troadem antiquo tempore, iam ante disturbationem Agamemnone duce factam, a Graecis esse occupatam — cuius rei vestigium exstat in fabula notissima de Troia ab Hercule capta — atque Graecorum cultu ac cultura imbutam fuisse, et primum quidem ex Lesbo insula. De qua re fusius Klausenius[1], Hermannus[2], Herodotus[3], Strabo[4] disputaverunt. Et recte Engelius[5] laudat Klausenium, qui ingeniose comparaverit rationes Germanorum Schleswigiam occupandi atque animos moresque excolendi, quum utrique ad populum cognatum et consanguineum venissent. At religiones veterum Teucrorum his coloniis deductis non interierunt, sed eorum de diis opiniones cum illorum tam arte coaluerunt, ut eas secernere inanis sit opera. Matris autem deorum vel deae Idaeae, quae summum inter Troianorum deos obtinebat locum, veneratio religionibus a Phrygibus allatis tanta facta erat, ut novis coloniarum aeolicarum, quae Thucydide auctore[6] postea in hac Troadis ora conditae sunt, sacris perire non posset, sed etiam illorum religionibus assumptis cresceret maiorque fieret[7]. Unde fiebat, ut illud numen troicum, quod ex Troianorum, Phrygum, Thracum, Samothracum, Graecorum religionibus quasi contextum esse accepimus, nomen Veneris, cui simillimum factum erat[8], ab Aeolibus acciperet et in eorum ordinem deorum sub hoc nomine reciperetur[9], quippe quum illi et ultimi venirent et religionibus ac cultura eruditioneque Troianos et ceteros Asiae minoris populos ante-

1) l. l. I pg. 28 sqq.
2) Griech. Alterth. §. 76, 14.
3) V, 122.
4) XIII pg. 582. sqq. 600.
5) l. l. II pg. 311.
6) IV, 52 — cf. Welcker Ep. Cycl. II pg. 21 sqq.
7) Klausen l. l. I pg. 29.
8) Nam Venus quoque apud Graecos terrae vim producendi significat — cf. Preller l. l. pg. 403.
9) Hesychius: *Κυβήκη ἡ μήτηρ θεῶν καὶ Ἀφροδίτη.* — Photion: *Κύβηβος· Χάρων ὁ Λαμψακηνὸς τὴν Ἀφροδίτην ὑπὸ Φρυγῶν καὶ Λυδῶν Κυβήβην λέγεσθαι.*

cederent. Talis est Venus[1] apud Troianos culta. Ac Venus in Homeri carminibus descripta[2] huius naturae vestigia perspicua adhuc praebet. Nam ut exemplum proferam[3], sic apud Homerum[4] Phrygiae nomen Ascaniae est, quo nomine Aeneae filii, Ascanii, commonemur.

Sed dixerit fortasse quispiam: Cur haec omnia enarrasti? Quid ad nostram rem valet, unde natura Veneris troicae, quam si ita appellare licet, conflata sit? Cui respondendum est, nos nihil supervacanei enarrasse, quia opus est illius deae naturam penitus perspexisse, ut intelligamus, fabulas, quae de Venere troica divulgatae sint, secundum illius naturae unam alteramve partem esse diiudicandas ac perpendendas.

Quocirca postquam haec praemisimus ad hymni nostri argumentum nunc revertamur.

Supra contendimus, in fabula hymni multa inveniri, quae a Graecorum ingenio ac ratione sentiendi ita discrepent, ut omnino negandum sit, argumentum hymni ex Graecorum fabulis esse petitum. Ego vero longa nostra de Venere troica disputatione commoveor, ut putem, argumentum hymni ex illius deae fabulis esse sumptum. Quaeritur autem, num difficultates, quas ipse attuli, hac ratione possint superari. Ad omnes illas ineptias explicandas de religione illius deae pauca praeterea sunt afferenda. Possum vero iam hoc loco ex natura, quam descripsimus, Veneris troicae locum illum difficilem de bestiarum curis Veneri commissis[5] explicare. Etenim si matrem Idaeam eandem esse deam ac Venerem troicam (id est ambas deas apud Troianos esse contextas in unum numen ex Graecorum religione nomine Veneris notatum) concedas, mirum esse non debet, quod in eius fabellis ei bestiarum tutela concessa est, quoniam notissimum est, magnae illi deae — quam apud Asiae minoris populos deprehendi ac Cybelen, Rheam, matrem deorum, matrem Idaeam, matrem Dindymenen vocari supra docuimus — bestias sacras

1) Preller l. l. I pg. 403 et adnot. sub †. Idem I pg. 210 sqq.
2) Völcker in Mus. Rhenan. 1833 I pg. 196 sqq.
3) Völcker l. l. pg. 203.
4) Iliad. *β*, 863; *ν*, 793.
5) hymni v. 69—74.

esse et ab ea mulceri et domari[1]. Nec desunt hoc loco testimonia veterum scriptorum, nam hymnus quoque homericus XIV, qui in honorem matris deorum est compositus, ei eandem tutelam assignat[2], et Apollonius in Argonauticis[3] nec non Lucianus[4] fere eadem, quae sunt in hymno nostro, de Cybele, bestiarum patrona, narrant. Ac ne mirum quidem est, quod ei deae, quae in Idae saltibus ac deruptis faucibus colebatur, bestiae factae sunt sacrae, at maximopere offendit, quod Venus, amoris et pulchritudinis dea, cum bestiis tamquam commercium agit. Quamobrem effectum esse puto, illam bestiarum tutelam ex matris Idaeae numinibus in Veneris troicae munera esse translatam. Quam vero translationem in Troade ipsa, in qua ambarum religiones mixtae sint necesse est, tantum fieri potuisse per se ipsum liquet. Ex hac re iam suspicari possumus, unde origo fabulae nostrae sit petenda. Atque exstat in hymni vv. 111, 112, 137, 146 praeclarissimum adhuc testimonium, Troianos non plane oblitos fuisse, Venerem, quam colebant, multa, ut ita dicam, debere Phrygum magnae deae, nam dicit v. 111 Venus ipsa, se esse Otrei, Phrygum regis[5], filiam. Quam rem fortuito a poeta esse excogitatam quis affirmet? Nihil vero valet, quod Anchises et Aeneas Troiani sunt et ea, quae hymno narrantur, in Ida, troicae terrae monte, gesta sunt. Etenim Graecorum poetas fervida phantasia, quam dicunt, ea, quae ipsi vel ex ipsorum ingeniis excogitata haberent, saepissime, si res posceret, ad barbaros ac remotissimos populos transtulisse quis ignorat? Sufficit inter multos alios testes vocare Aeschylum in fabula Persarum et Euripidem in fabula Helenae. — Sed multo plura habemus argumenta, quibus elucet fabulam hymni nostri in Troade ortam et fictam, non autem in formam, ut ita dicam, poeticam esse redactam. Ad quae argumenta, si placet, nunc animum advertamus.

---

1) Gerhard l. l. I, §. 140—150; Preller l. l. I pg. 411 sqq.
2) v. 5.
3) A, 1140 sqq.
4) in deor. dialog. 12.
5) de quo iam Homerus Iliad. γ, 186 nonnulla attullit.

Apud Graecos originem regum, qui heroica aetate regnarent, a diis ac potissimum a Iove — unde adiectiva διογενής et διοτρεφής — esse petitam, ita ut pater esset deus, exceptis Achille paucisque aliis, iam puer in ludo non ignorat; quare exempla afferre supersedeo. At apud illos Asiae minoris populos, de quibus supra disputavimus, res aliter sese habebat. Etenim ut breviter summam multarum quaestionum, quas de hac re Klausenius et qui eum secutus est Engelius (in monographia de Cypro insula) instituerunt, praemittam, dicendum est, apud illos Asiae populos fabulam notissimam fuisse, reges eorumque familias progenitos esse a viro quodam clarissimo, cui summa eorum dea, quam terram esse vidimus, et favisset et cum eo usum habuisset, quin etiam eius complexui sese dedisset[1]. Sic apud Phryges fabula de Gordia celeberrima fuit, de qua disseruerunt Iustinus[2], Curtius[3], Arrianus[4], Arnobius[5]. Narratur hac fabula, in Gordiae, agricolae cuiusdam pauperis, aratro aquilam inter arandum consedisse ibique usque ad vesperam remansisse. Qua de re admiratus Gordias Talmissum se contulit, ut ex illius urbis incolis, quos esse vates in illis regionibus constabat, quaereret, quid illud monstrum sibi vellet. Inter viam carpendam ei virgo pulcherrima obviam facta est, quae ex illa re eum ipsum regem fore vaticinata est ac se offert uxorem. Discordiis dein civilibus in Phrygia exortis et postquam Phryges ab oraculo iussi sunt principatum constituere et eum regem eligere, qui legatis primus in curru vehens obviam iret, legati reversi in Gordiam offenderunt eumque regem creaverunt. Quae vero inter Phryges de Gordia, eadem mutatis rebus nonnullis inter Troianos de Anchisa ferebantur. Etenim illam de Gordia narratiunculam quod attinet ad finem et causam, idem sibi velle atque eam, quae est in hymno, facile intelligitur. Nam omnia, vel verba

---

1) Klausen l. l. I pg. 111 saep. Engel l. l. pg. 321 sqq.; Gerhard l. l. § 149. § 862 4a.

2) XI, 7.

3) III, 1.

4) Exped. Alex. II, 3.

5) Adv. gent. II, 73.

ipsa in enarrandis fabulis secum congruere is tantum poscet, qui talium fabularum naturam ne levissime quidem attigit. Quomodo enim fabulae eiusmodi inter se comparandae sint, nuper viri doctissimi, qui in Germanorum veterum litteris religionibus moribus studia collocabant uti Iacobus Grimmius, Lachmannus, Kuhnius, Schwartzius, alii optime demonstrarunt. Gordias Anchisae, virgo illa pulchra, sub cuius forma numen illud Phrygum summum latere verisimillimum est, Veneri respondet[1]. Ex utroque matrimonio procreatus est filius, ad quem regum stirpem et Phryges et Troiani deferunt, Midas et Aeneas. Principia igitur utriusque fabulae eadem esse non audacter contendere videor. Atque apud Lydos quoque eiusmodi fabella narrabatur de Gyge, qui quum in terrae hiatum descendisset et ex digito hominis mortui ibi in permagno equo iacentis detraxisset annulum aureum, cuius opportunitate a nullo videbatur, reginae stuprum intulit eaque adiutrice regem interemit ac rex Lydiae ipse factus est.[2]

Aliter quidem, id quod Dunckerus[3] tradit, ab Herodoto[4] illa de Gyge fabula est enarrata, aliter denique a Xantho[5]. At ex omnibus de Gyge narratiunculis id unum efficitur, adiutrice regina, quam pro summa dea in hac fabula ex hominum opinione esse dictam puto, in Gygem regnum esse delatum. Utrum vero apud ceteros Asiae minoris populos cum Troianis cognatos eadem vel similis fabula pervulgata fuerit annon, ignoramus, quia de illorum populorum religione

---

1) Inter hoc scribendum cognovi, eum (A. v. G.), qui Müllenhofii librum nuperrime editum ‚Deutsche Alterthumskunde Bd. I‘ in Zarnckii annalibus, quibus nomen est ‚Litterarisches Centralblatt‘, recensuit (No. 21 a. 1871, pg. 522 sqq.) eandem habere sententiam, quum ait: wenn irgend etwas sicher ist, so ist es das, dass die in Troas als Geliebte des Anchises und Mutter des Aeneas verehrte Aphrodite — die einheimische Göttermutter ist, wie die Vergleichung der phrygischen Sage von Gordias und Midas zur Genüge darthut.

2) Archiloch. frg. 25 in Poet. lyric. ed. Bergk (tertiis curis 1866); Plato de rep. II pg. 350; Cicero de off. III, 9, 38; Engel Kypros II pg. 321.

3) Gesch. des Alterth. I pg. 878 sqq.

4) I, 8; I, 12.

5) Nicol. Damasc. frg. 49 in Mülleri fragm. hist. graec. vol. III.

nihil certi nobis traditum est. Puto autem ex tribus illis, quas attuli, fabulis iam satis firmatum esse, populos Asiae minoris celeberrimos regum stirpem duxisse a viro, cui summum numen maxime faveret.

Non possum, quin hoc loco paucis verbis attingam, quid fabula hymni sibi velit. Etenim Schwartzius[1] docuit, Venerem in lepida illa narratiuncula de Martis et Veneris congressu[2] nihil aliud esse nisi solem nubibus densis obscuratum, idemque suo iure contendit,[3] naturam Veneris ut deae solis verni deprehendi in iis locis, ubi φιλομμειδής dicitur vel ubi munditiis monilibusque et aliis ornamentis aureis exornatur. Non multo abest ab hac opinione Sonnius[4], qui Venerem et Auroram — id est solem matutinum — primitus easdem fuisse affirmat. Immo vir doctissimus ad nostram opinionem supra fusius prolatam accessit, quum ait[5]: „Nehmen wir also an, Aphrodite sei ursprünglich die Eos gewesen, so bleibt anzuerkennen, dass diese ihre Eigenschaft durch Verschmelzung mit der syrischen Aschera-Astarte wesentlich beeinträchtigt worden sei.“ Et porro pg. 417: Im Hymnus (intellige nostrum) sind phrygische Züge eingemischt und ihr (sc. Veneri) v. 218 ff. die Eos-Tithonossage in den Mund gelegt, welche in der Verbindung zwischen der Göttin und dem Sterblichen eben nur ein Seitenstück zu der zwischen Anchises und Aphrodite bildet.“ Hactenus ille. Et manet adhuc vestigium in hymni ipsius v. 89, ubi ornamenta Veneris cum splendore lunae (id est ex opinione veterum solis nocturni[6], si ita dicere licet) comparantur. Equidem paucis proferam sententiam meam,

---

1) Der Ursprung der Mythologie, a. 1860 pg. 152.

2) Odyss. ϑ, 267, sqq. Hoc loco ἄσβεστος γέλως est tonitru. Addere potuit Schwartzius vestigium originis fabulae exstare in eo, quod congressus nuntius est sol.

3) Sonne, Mond u. Sterne, 1864, pg 207. sqq.

4) ‚De Charite‘ in Kuhnii Zeitschrift für vergl. Sprachforschung X. (1861) pg. 96—136; 401—427.

5) pg. 413.

6) De solis et lunae coniunctione vide Hesiodi theog. v. 371 sqq. hymn. in Solem homeric. v. 4 sqq; Ovidii Metamorph. II, v. 208 sq., alios. Plura affert Schwartzius in libro iam laudato: ‚Sonne, Mond und Sterne‘ pg. 159 sqq.

nam disputatione iusto ampliore opus esset, si omnes res huc pertinentes proferre ac perpendere vellem. Malo enim cum Sonnio putare Venerem esse solem matutinum — nam Venus nuda e mari emergens sol videtur esse ex noctis et nubium velamine, quod tamquam est mare, exoriens — quam solem vernum[1] Schwartzium secutus et fabulam nostram comparans cum illa de Martis et Veneris congressu, id quod tum necesse esset. Itaque ex mea quidem opinione fabula nostra ac Phrygum de Gordia Lydorumque de Gyge (si originem respicis primitivam, quae uniuscuiusque fabulae res, quae in rerum natura fit, esse debet) fundamentum habet solis ortum. Quem qui primus videt, beatus praedicatur, id est fit beatus ac felix eique omnia peropportune accident. In historia fabulari homo taliter fortunatus magnum reperit auri thesaurum vel afficitur amplis praemiis aureis — nam aureus sol dat res aureas[2]. At apud Asiae minoris populos, apud quos fabula nostra deprehenditur, praeter donum aureum — cf. Gygis annulum aureum ex digito mortui detractum — accedit, quod vir ille beatus a sole (quae discerni nequit a summa illorum populorum dea, quae est terra vel terrae vis procreandi solis radiis progenita et aucta) imperio, solio aureo, donatur. Non ignoro hanc meam opinionem, quae ad originem tantum primam fabulae respicit, fortasse a multis viris doctis ob nimiam audaciam non probatum iri, tamen puto silere non licuisse, quia hac opinione prolata alii fortasse impelluntur — velim res ita se habeat —, ut rem melius ac prosperius diiudicent.

Sed haec hactenus et de troicae gentis populorumque cognatorum primordiis et eorum opinionibus de diis re-

---

1) Prellerus l. l. I pg. 223 putat ob ornamenta Venerem esse deam vernam.

2) Sic Kinyras, amator Veneris Cypri in insula, Midas apud Phryges, Gyges apud Lydos — de quibus supra diximus — ob auri vim in proverbium abierunt — cf. Preller Griech. Myth. (1854) Bd. I, p. 224—225 — nec non postero tempore Kroesus putabatur esse Veneris amicus — cf. Preller l. l. I pg. 226, qui laudat Ptolemaei (Nov. hist. pg. 187 ed. Westermann) haece verba: *καὶ τὸν Κροῖσον γεννηθῆναι ἐν ἑορτῇ Ἀφροδίτης, καθ᾽ ἣν Λυδοὶ τὸν ἅπαντα πλοῦτον περιτιθέντες αὐτῇ πομπεύουσιν.*

gumque stirpe. Namque ex iis, quae exposui, videor meo iure contendere apud Troianos vel, si mavis, Teucros Dardanosve, fabulam esse ortam hymni nostri, quippe quum in eo de regum stirpe exstet eadem opinio, quae tantum apud Troianos (et Phryges Lydosque), non autem apud Graecos deprehenditur. De qua re si quis uberiorem disputationem requirit, eam inveniet in Klausenii libro a nobis saepius laudato „Aeneas und die Penaten."

Quaeritur igitur nunc, num ex hac fabulae nostrae natura ea, quae Graecorum ingenio in hymno non respondeant, possint explanari. Ac laeto animo possumus dicere, naturam Veneris in hymno descriptam optime ex opinionibus apud populos Asiae minoris de regum stirpe divulgatis posse explicari. Nam si bene meminerimus, illos populos regum originem ab ipsa dea magna, de qua multa attulimus, atque viro, cui illa favet, petiisse, non negabimus, in hoc nostro hymno id esse servatum, quod Troiani vel Teucri vel Dardani de ipsorum regum stirpe senserint. Quod si statuimus, Venus impudica meretricula, qualis alioquin videtur esse, putari desinit. Ac revera deae hanc, quam volumus, naturam tribuendam esse ex ipsis veterum scriptorum testimoniis concludi potest [1]. Etenim Acusilaus [2] narrasse fertur, a Venere totum bellum troicum esse commotum, ut ad gentem a se ipsa procreatam Troianorum imperium deferretur [3]. Similia fortasse in Stasini Cypriis [4] Venus agitabat, ubi Aeneas iussu matris Paridem in Helena rapienda adiuvit. Et quod vel gravissimum est, edocemur illo scholio (cf. adnot. 2 hj. pg.), Venerem Anchisae complexui sese dedisse, ut progeniem procrearet praeclarissimam, quae de Troianorum reliquiis sempiternum exerceret imperium, id quod in hymno [5] Venus ipsa vaticinatur. De qua re Romanos valde gloriatos esse nemo ignorat, qui Vergilii Aeneidem [6] adierit. Nec non levis argumenti est, quod ex Homero concludere possu-

---

1) Klausen l. l. I pgg. 41 et 42.
2) cf. schol. ad Iliad. υ, 307.
3) Vergil. Aeneid. X, 42 sqq.
4) Cyprior. I in Procl. chrestomath.
5) vv. 196 et 197.
6) cf. ex. gr. VI, 756—854.

mus, Anchisen a Venere petitum aetate provectum fuisse, quia filiam Alcathoo iam in matrimonium[1] dedisset, apud quam Aeneam educatum esse Homerus narrat[2]. Neque Acusilaus hanc rem ignorat, quum dicit, Venerem Anchisae ἤδη παρηκμακότι sese dedisse. Quam Veneris cupiditatem non intelligere possumus, nisi animo tenemus ea, quae populi Asiae minoris de ipsorum principum origine iudicaverint. At ne is quidem, qui hymnum composuit, illam Veneris cupidinem recte intellexit, quia Iovem ipsum deae cordi amorem instillasse vult[3], quamquam Iovem ceteroquin res amatorias aliis obtrusisse apud Graecorum scriptores frustra quaeris. Quare si fabulam nostram Troianorum esse tenemus, illae difficultates et de Veneris moribus, quae vel maxima fuit, et de Iove res amatorias curante e medio sublatae sunt. Ac multum confert ad originem fabulae nostrae troicam phrygiamve confirmandam, quod Otfr. Muellerus[4] adnotat, quum dicit, in antiquis vel picturis vel statuis Anchisen et Aeneam solos inter Troianos veste phrygia indutos inveniri.

Sed putet fortasse quispiam me in summum errorem esse inductum, quod ignoraverim, fieri non potuisse, ut Troia urbe funditus eversa Troianorum fabulae servarentur usque ad id tempus, quo hymnus noster est compositus, id est — quisnam dubitare potest? — nonnullis saeculis post. Quare populi troici reliquiae post Troiam dirutam quid passi sint, paucis nunc demonstrabo. At in his rebus enarrandis de iis Troianorum partibus, quae Asiam reliquerunt ac quopiam se contulerunt, omnino non dicam, sed de iis, quae in Asia minore remanserunt. Quum vero Klausenius de hac re fusius ac bene disputaverit[5], satis habeo ea, quae ille docuit, locis veterum scriptorum illustrata proferre.

Gentis dardaniae nomen[6] post Troiam eversam apud veteres scriptores saepenumero in Asia commemoratur, de quibus

1) Iliad. ν, 428.

2) Iliad. ν, 465—466.

3) h. v. 45 sqq.

4) Archaeolog. d. Kunst § 415. c. adn.

5) l. l. I, pg. 41—49 saepius.

6) K. O. Müller, Explicantur causae fabulae de Aeneae in Italia adventu — Classical Iournal vol. XXVI pg. 308; Idem Dorier I pg. 220; Duncker Geschichte des Alterthums III pg. 150 sqq; Mannert Geographie der Griechen und Römer VI, 3. pgg. 458 et 520.

nominare libet Strabonem,[1] Pomponium Melam,[2] Xenophontem[3], Diodorum[4], Apollodorum[5], Thucydidem[6], Plutarchum[7], Livium[8]. Tanta tot scriptorum praestantissimorum auctoritate commoti pro certo habere possumus, gentis troicae reliquias quasdam in Asia remansisse easque in Idae saltibus habitasse. Cuius rei testis etiam Strabo[9] est, qui laudat Homeri quosdam versus[10] continentes idem fere oraculum, quod est in hymno nostro, ex quibus elucere censet, ab Homero Aeneam in Troade remansisse putatum esse. Deinde ab his Troianorum reliquiis in Ida et prope ad eam urbes ut Gergim vel Gergithes, Scepsim, Arisbam, Alexandriam Troadem, alias conditas esse argumentis sane firmis e veteribus scriptoribus petitis confirmare possum. Herodotus[11] enim Troadem a Teucris vel Troianis tempore bellorum inter Graecos et Persas gestorum sua etiam aetate habitatam esse narrat. Ac de Scepsi et Gergi eadem memoriae prodiderunt Strabo[12], Cicero[13], Plinius[14], Stephanus Byzantius[15], Suidas[16], Hesychius[17], alii[18]. His veterum scriptorum locis, quorum numerum e Klausenii libro[19] propagare etiam possum, congestis neminem puto amplius

---

1) XIII pg. 592.
2) I, 18, 5.
3) Hellen. III, 1, 10. 15.
4) IV, 75.
5) III, 12, 1.
6) VIII, 104.
7) in vit. Sull. cp. 24.
8) XXXVIII, 39.
9) XIII pg. 608.
10) Iliad. υ, 307 sqq.
11) VII, 43; V, 13. 122.
12) XIII pgg. 609. 603. 607.
13) Orat. II, 88, 360; 90, 365; III, 20, 75; Tuscul. disput. I, 24, 59.
14) H. N. XXXIV, 7, 16; V, 30, 32.
15) s. v. Σκῆψις et s. v. Γέργις.
16) s. v. Σκῆψις et s. v. Γέργηθες.
17) s. v. Γέργιθες.
18) cf. K. O. Müller Dorier I pg. 219; Georgii Alte Geograph. pg. 115; Mannert Geograph. d. Griech. u. Röm. VI, 3 pgg. 458 et 520—521.
19) I pg. 43—46.

esse dubitaturum, quin illae urbes a Troianorum reliquiis revera postero etiam tempore sint habitatae. Scimus praeterea [1], Scepsi, quam Ascanius, Aeneae filius, condidisse dicebatur, imperium exercuisse reges, qui stirpem ab Ascanio et Scamandrio, filio Hectoris, deducerent. Postea vero quum Mileti coloniis[2] regiones Asiae minoris septentrionales aeque atque ora Ponti Euxini quasi inundatae essent[3], Scepsis quoque et Gergis a Milesiis sunt occupatae [4]. Deinde Milesiis auctoribus optimatium, postea populi potentia constituta est. At reges harum urbium nomen regium et honores quosdam retinuisse Strabo[5] narrat, qui: *εἶτα,* inquit, *Μιλησίοις συνεπολιτεύθησαν αὐτοῖς καὶ δημοκρατικῶς ᾤκουν· οἱ δ' ἀπὸ τοῦ γένους οὐδὲν ἧττον ἐκαλοῦντο βασιλεῖς ἔχοντές τινας τιμάς* — quos honores concessos Klausenius [6] sacrales fuisse ingeniose suspicatus est. Itaque reliquias troicas quum in compluribus Troadis urbibus tum maxime Gergi et Scepsi diu post Troiam captam fuisse et principes e veterum Teucrorum regum stirpe ortos [7] Gergi et Scepsi regnasse pro certo habere possumus. Nam Anchisae eiusque familiae, non autem Priamo eiusque genti imperium ex Troianorum fabulis antiquissimis esse tribuendum docet Klausenius[8] testem vocans Homerum[9]. Hanc sententiam nuper Müllenhofius quoque protulit [10].

At hos Teucrorum principes et una cum iis incolas omnium illarum troicarum urbium oblitos fuisse fabularum, quae de ipsorum proavis ferebantur quarumque partem quandam a poetis Graecorum summis maximopere esse celebratam vide-

---

1) Klausen l. l. I pg. 46 sqq; Strabo. XIII pgg. 607. 608.

2) E. Curtius Griech. Gesch. I pg. 339 sqq; Strabo XII pg. 524; XIV pg. 635.

3) Strabo XIII pgg. 590. 587. 589. 588; Apollon. I, 1076 c. schol.; Hermann Griech. Alterth. 78, 14.

4) cf. Anaximenem Lampsacenum apud Strabonem XIV pg. 635.

5) XIII pg. 607.

6) l. l. I pg. 47.

7) Welcker Episch. Cycl. II pgg. 23. 43. 128 all.

8) l. l. I pg. 31—32.

9) Iliad. *β*, 819; *υ*, 91.

10) Deutsche Alterthumskunde pg. 17 sq.

bant, quis putat? Populus enim fortis et probus de summo gloriae fastigio necessitate quadam deiectus, sive ab alio quodam populo sub ditione tenetur sive e patria eiectus alio loco sedes collocare coactus est, memoriam et opiniones patrum antiquitus acceptas eo tenacius servare ac custodire solet, quo praeclariores illae fuerunt. Iure igitur contendere possum, in istis Aeneadum oppidis fabulas a patribus traditas semper celebratas et cultas esse. Populi cuiusque optima et certissima maximeque propria bona sunt lingua et religiones. Teucrorum vero lingua — de qua omnino nil scimus, sed quam non ita multum a Graecorum lingua abhorruisse puto, quia apud Homerum Graeci et Troiani alteri alteros intelligunt — a Graecorum lingua praeclara est superata oppressaque ac prorsus evanuit. Non autem idem illorum fabulae passae videntur esse. Etenim principum Scepsi regnantium permagni interesse necesse fuit, ut illae de diis, ex quibus gentis suae originem deducerent, fabulae vigerent ac quam maxime divulgarentur. Et memores praeclarissimorum temporum, quibus Troianorum res honoribus et gloria florebant ac Priamus rex paene omnes Asiae minoris populos socios sibi conciliaverat, horum temporum dico memores quanta aegritudine illi tulerint putas, quod urbe ipsorum clarissima funditus eversa in montium saltus ac silvarum tenebras ipsi se recipere coacti sunt? Ac principes, qui ab Aenea et ita a summa dea, Venere, se exortos esse gloriabantur quanto dolore affecti essent necesse fuit, quum sacra facerent peregrinis, quorum proavi maioribus ipsorum bellum illud inclitissimum intulerant urbemque omnium pulcherrimam et celeberrimam diruerant? Qui sine dubio in sua ipsorum conditione non acquiescebant, sed fabularum vel de ipsorum populo toto vel de regiae gentis origine divulgatarum semper memores piis animis et aegre fortunam ferentes splendorem ac gloriam maiorum in mentem revocabant. Quare inter eos fabulam de Anchisae et Veneris congressu, ex quo ipsi gentis originem deducebant, pervulgatam fuisse quis negabit? Quin etiam cupiditate summi imperii recuperandi permoti fortasse sperabant, fore ut auxilio et ope deae matris amissam regiam dignitatem sibi reficerent. Quocirca ex rebus expositis verisimillimum est, fabulam lepidam de Veneris et

Anchisae congressu vel primum inter ceteras Aeneadum fabulas locum occupasse. Ac ne id quidem a veritatis specie abhorret, quod illi Aeneadum principes quum populorum cognatorum opiniones de imperio a congressu deae magnae cum auctore generis regii deducendo cognovissent, Veneri, ut ipsorum imperium stabilirent, affixerunt illam imperitandi cupidinem, qua ducta illa Anchisen aetate iam provectum anquireret Atque iisdem Aeneadibus locum illum de Aenea inclitum in Iliad. libro *υ* inde a versu 178 deberi optime coniecit Welckerus Ep. Cycl. II pg. 147 not. 83. His autem concessis non audacter videmur dicere, quum contendimus, totam Troianorum mythologiam, quam vocant, ab illis Troianorum reliquiis Scepsi et Gergi vel in aliis Troadis oppidis habitantibus servatam et excultam esse aeque ac fabulam de Anchisae et Veneris congressu. Unde hymni nostri argumentum petitum esse iam supra suspicati sumus ac nunc edocemur. Sed si quis Troianorum vel Aeneadum opiniones de diis, quales fuerint, penitus cognoscere velit, is reiiciendus est ad Klausenii librum iam laudatum, in quo explanatum est, quid illi de diis senserint quemve deorum ordinem constituerint ac quanto honore numen quodque coluerint. —

Quibus rebus cognitis nobis continget ceteras offensiones, quas in hymni argumento restare scimus, expedire. Etenim postquam vidimus fabulam hymni totam Troianorum fabulis deberi, per se ipsum intelligitur, a Venere exempla, quibus ipsius congressum cum viro mortali prout facinus a diis saepius commissum illustrare studet, omnia ex Troianorum mythologia esse petita. Hinc longa de Ganymede Trooque fabulatio, hinc lepida illa de Tithono fabula! Dein tres istae deae, quae Veneri resistere initio hymni narrantur, ex Troianorum opinionibus sunt descriptae. Minervae [1] enim bella et artificiosa virginum opera placent — utrumque in Palladio troico [2] hasta et fuso est notatum. Et *σατίναις*, quas Graeci omnino ignorabant, mater Idaea Euripide auctore [3] utebatur. Deinde quod Diana

1) Klausen l. l. I pg. 153—154.
2) Id. l. l. I pg. 146 sqq.
3) Helen. v. 1330 ed. G. Hermann.

in hymni v. 20 iustorum virorum urbem tuetur nos offendit. Quod quidem Klausenius[1] recte explanat, quum dicit, hanc Dianam esse troicam, quae etsi multorum matris Idaeae munium uti venationis et bestiarum tutelae sit particeps, tamen non eandem esse atque illam, sed potius quasi filiam illius esse habendam, quippe in quam multae illius virtutes translatae sint. Sic quoque Diana urbem iustorum virorum tueri dicitur — quam tutelam urbis vel regionis vel fluminis inter matris Idaeae vel Cybeles munia esse habendam[2] nemo ignorabit, qui legerit Vergilii Aeneidem[3], Sophoclis Philoctetam[4], potissimum Ovidii Fastos[5] — ubi sunt haece verba:

At cur turrita caput est ornata corona,
An Phrygiis turres urbibus illa dedit? — alios.

Quare Cybele dicta est turrita vel turrigera[6].

Sequitur dein illa de Vesta narratio, quae a Graecorum de diis opinionibus valde abhorret. Qua in re Klausenius recte monet[7], Vestam in Aeneadum urbibus cultam esse secundum illud numen Idaeum sub signo lapidis[8] — quem lapidem eundem esse persuasum habeo atque illum a Saturnio, qui deus est mundi status non iam certis quibusdam legibus circumscripti, deforatum nec non sanctum aedium focum, quo condito iura certa esse condita puta[9]. Sempiternam vero virginem se esse mansuram dea iurat, ut indicet, focum domus semper sacrosanctum et incorruptum esse necesse esse. Petitur vero uxor in hymno a Neptuno et Apolline, id est ab iis diis, a quibus muros esse conditos Troiani gloriabantur. Adversatur autem Vesta, qualis in hymno describitur, optimo iure Veneri, quippe quum contrarias partes agat. At si meminimus, summum illud numen apud Phryges et Lydos cultum purissimam castitatem postulasse — id quod Galli, Cybeles phrygiae

1) l. l. I pg. 173—174.
2) Gerhard. Mythol. § 140 sqq.
3) VI, 784.
4) v. 391—394.
5) IV, 219—220.
6) Preller l. l. I pg. 404.
7) l. l. I pg. 166 sqq.
8) Preller l. l. I pg. 404 de lapide, Cybeles signo, dicit.
9) Preller l. l. I pg. 266 sqq.

sacerdotes castrati, testantur aeque ac fabula, quae de Atte et Agdisti [1] ferebatur — si hoc bene meminimus, confitendum est, Vestae numine spectatissimam castae vitae familiaeque incorruptae effigiem esse perceptam, quae quidem ex summi illius numinis quasi altera natura, quae fuit naturali libidine vacua, facile concipitur. Accedit quod a Suida traditum est [2], Cybelen cum Vesta esse confusam. Hanc igitur de Vesta fabellam ex Trojanorum ingenio expressam cum totius hymni argumento optime congruere facili negotio concedimus. Hanc vero naturam modo descriptam a Vesta in posterum quoque tempus retentam esse testes sunt Pindarus [3] et Vergilius [4].

Ita omnes ineptiae, quas nos supra ex ingenio Graecorum rem diiudicantes attulimus, e medio sublatae sunt. Quocirca stat, quod disputatione nostra demonstrare conati sumus, nempe et Veneris naturam et totum fabulae contextum non posse bene intelligi, nisi ex fabulis, quas inter Troianos vel eorum reliquias Troia capta in Idae saltibus dispersas fuisse constat, argumentum totius hymni sumptum esse statuas. Accedit quod Anchisae timor miser dea agnita [5] nos valde offendit. Qui timor ex mea quidem opinione apte explanatur, quum animo teneas, Anchisen, postquam cum dea congressum esse animadverterit, non ignorantem ipsius proavum Iasionem [6] propter concubitum cum Cerere factum Iovis fulmine esse percussum [7], metuere, ne ipse idem passurus sit [8]. Et Themida [9] a Troianorum ordine deorum non alienam fuisse elucet vel potissimum ex eo, quod Anchisae ipsius mater, quae fuit Capyis uxor, nomen habebat Themidis [10]. Denique aurea ornamenta et novile bacatum Veneris in hymno [11] saepius com-

1) Klausen l. l. I pg. 26 sqq.; Preller l. l. I pg. 406 sq.
2) s. v. γῆς ἄγαλμα — cf. Preller l. l. I pg. 272.
3) Nem. XI, 1 sqq.
4) Aeneid. I, 292.
5) hymn. v. 181 sqq.
6) Lobeck. Aglaoph. pg. 1222 sq.
7) Dionys. A. R. I, 61.
8) Klausen l. l. I pgg. 30 et 339.
9) hymni v. 94.
10) Klausen l. l. I pg. 144. 174 sqq. Apollod. III, 12, 2.
11) vv. 1, 9. 65. 86 sqq. 93. 162 sqq.

memorata in mentem vocant, summum numen apud Phryges Lydosque ipsum adamare aurum idque iis, quibus faveat, copiose largiri[1].

Sed missam hanc de fabula nostra explicanda quaestionem faciamus, quoniam argumentis, quantum in huiusmodi re licet, certis explicatum videtur esse, argumentum hymni totum fabulis vel Troianorum vel Aeneadum in Ida considentium deberi. Argumentis autem similibus videtur O. Muellerus[2] commotus fuisse, ut hymnum nostrum in Aeneadum principum honorem — id quod iam Matthiaeus contendit[3] — in urbe aliqua Aeneadum in Troade et Idae saltibus dispersorum compositum esse statueret. Quam viri doctissimi opinionem non ita deviam optimo iure Bernhardyus[4] et Baumeisterus[5] reiecerunt. Namque argumentum hymni quamvis Aeneadum fabulis debeatur, tamen si quis putet, hymnum in Aeneadum urbibus esse compositum, is extra fines, qui coniiciendo esse debent, vagatur, quum non habeat ullum fundamentum, quo ipsius opinionem stabiliat. Et ignorat Muellerus etiam hymni genus dicendi, quod est ionicum, quum illis in regionibus inde ab occupatione aeolica (cf. comment. nostr. pg. 58.) dialectum aeolicam viguisse constet. Quare ne Baumeistero quidem assentiri possum putanti[6] non constare Troianos idaeos lingua Graeca esse usos. Qua in re ille obliviscitur nummos quosdam Scepsis et Gergis urbium inscriptionibus impressos adhuc exstare — e quibus tres Klausenius typographum depingere iussit in tabula prima[7] libro suo laudato affixa. Et confirmatur his nummis id, quod modo contendi, illa in regione homines dialecto aeolica usos esse, quia nummi antiquiores formam aeolicam[8] *ΣΚΑΨΙΩΝ* praebent. Ergo contra Bau-

---

1) Klausen. l. l. I pg. 197 sqq; Engel Kypros II pg. 321 sqq.
2) hist. litt. graec. I pg. 133.
3) in animadv. ad hymn. hom. pg. 66—75.
4) hist. litt. graec. II³, 1 pg. 233.
5) in comment. ad hym. n. pg. 251.
6) l. l. pg. 251.
7) num. 9. 10. 11.
8) cf. Mionnet II pgg. 688. 247. 249 — quem laudat Klausenius l. l. I pg. 47.

meisterum contendo graece illos esse locutos. At quum hymni nostri orationem dictionisque, quam vocant, naturam animo teneas et ad obrussam tamquam generis dicendi in Homeri carminibus adhibiti exigas, invenies, hymnum versus decem (v. 35. 60. 61. 62. 68. 99. 143. 163. 184. 235) integros [1] ex Homeri carminibus sumptos, decem (59. 98. 105. 109. 118. 139. 193. 215. 234. 238) paene homericos, centum viginti duos versus formulas homericas imitantes continere. [2] Unde fiebat, ut iam antiqui homines hymnum nomine ὁμηρικωτάτου praeclarissimo notarent. Hoc carmen, quod versibus versuumque particulis nec non vocibus homericis quasi abundat et cuius genus dicendi gloriam carminum homericorum si quod aliud adaequat et quod ceteris Graecorum carminibus epicis praestat, hoc carmen a poeta, qui Graecus non fuisset, esse compositum nunquam animo meo persuadere possum. Immo vero ne uno quidem temporis puncto dubito affirmare, hymnum compositum esse a poeta graeco optimo et quidem ab uno alterove [3] ex rhapsodis homericis, qui carmina homerica fecisse vel contexuisse ex quibusdam epicis Graecorum carminibus antiquissimis et optimis vel ea propagasse Wolfium et Lachmannum secutus. Itaque nunc quaerendum est, quonam loco hymnus noster compositus esse videatur.

Qua in re multum expedit nos supra docuisse, totam hymni fabulam ex Troianorum vel Aeneadum mythologia esse sumptam, in qua illam de Anchisae et Veneris congressu fabulam tenacissime esse servatam vidimus. His autem concessis per se ipsum liquet, non solum in illis duabus, sed in omnibus Aeneadum urbibus illam, de qua agimus, fabulam viguisse.

Scimus autem ex Strabone [4] et potissimum ex Athenaei

---

1) Windischius De hymn. hom. maior. pg. 42 computat viginti — at versus 59. 98. 105. 109. 118. 139. 193. 215. 234. 238 non integri ex Homero sunt petiti.

2) cf. Windisch. l. l. pg. 42 sqq.

3) Fr. Aug. Wolfii proleg. ad Homerum pg. 63—64 (ed. II. 1859).

4) XIII pg. 589: ἦν δὲ καὶ πόλις Γέργιθα ἐκ τῶν ἐν Κυμαίᾳ Γεργίθων.

loco celeberrimo [1] praeter illam in Ida sitam Gergim in agro Cumano prope ad Larissam urbem Gergithum vel Gergithii conditam fuisse. Quamquam vero hanc urbem Gergithum in Cumano sitam — nempe *Κύμη*, Aeolum colonia in Asia minore, est intelligenda — antiquiorem esse quam Gergim (vel Gergithes vel Gergithium) in Ida conditam Strabo putat, tamen hoc loco esse comprobandam puto Athenaei sententiam ex Clearcho Soleo, Aristotelis discipulo clarissimo, petitam. Nam etsi in hac historia enarranda multos errores [2] ab Athenaeo, quem ex optimis veterum scriptorum fontibus sine iudicio subtili et interiore litterarum antiquarum scientia multos locos excerpsisse inter omnes viros doctos constat, commissos esse Klausenius exposuit, tamen non possum facere, quin in eo, quod ad rei summam pertinet, Athenaeo assentiar quum propter clarissimum Clearchi testimonium, quod hoc loco Athenaeus est secutus, tum quia missis ceteris de hac re quaestionibus sane multo aptius videtur existimare, Troianos post Troiam dirutam in loca ab ipsorum gente iam inde ab antiquissimo tempore occupata et Idae montis saltibus ac faucibus deruptis satis munita sese contulisse ac postea viribus receptis inde colonias deduxisse, quam descendere in quaestionem difficillimam ac paene non diiudicandam de Teucrorum vel ex Cypro vel ex Creta insulis adventu. At ne quis putet, illos Strabonis et Athenaei locos non satis esse, quibus efficiatur in Cumano fuisse Gergithes, commemorandum est, in hac, de qua agimus, urbe natum esse Cephalionem, scriptorem historiarum de Troianorum migratione et Aeneae in Italia adventu, de quo docte Lobeckius in Aglaophamo disseruit [3] ac quem Strabo [4], Dionysius Halicarnassensis [5], Festus [6], alii nominaverunt. Quocirca si non negas, Cephalionem illum vixisse — id quod negare non

---

1) VI pg. 256. *τούτου γὰρ, ὡς ἔοικε, τοῦ στόλου* (sclct. *τοῦ Τεύκρου*) *τινὲς ἀποσπασθέντες ἐν τῇ Κυμαίᾳ κατέσχον.*

2) sic Teucrorum nomine in gravissimum errorem de Teucro harum urbium conditore inductus est.

3) pg. 995—997.

4) XIII pg. 589.

5) I, 49 et 82.

6) pg. 453.

licet —, non infitiandum est, Gergithes in Cumano fuisse. Quibus rebus videntur commoti esse Papius, ut in lexicum suum nomina Graecorum exhibens urbem illam sub nomine Γεργιθίον insereret, nec non O. Muellerus [1] et Dunckerus [2], ut Teucrorum coloniam in Cumano fuisse commemorarent. Quae urbs quantum ad fabulas Troianorum inter Graecos propagandas [3] sine dubio contulerit, iam Klausenius recte suspicatur [4] et mira quadam doctrina [5], ubi de Sibyllis [6] agit, demonstrasse conatus est, harum Cumaearum Gergithum quasi beneficio opiniones de Sibyllis, quae vere ac proprie Teucrorum quaedam mulieres vaticiniae et fatidicae essent [7], Cymam aeolicam et inde in Italiam Cumas ac denique Romam esse translatas. Quam opinionem vir doctissimus sibi defensatam habeat, nihil valet ad rem nostram, nisi quod illis de Sibyllis opinionibus Cumaeis Gergithibus concessis nos non audacter videmur putare, in hac urbe aeque atque in ceteris Teucrorum urbibus, id quod supra iam docuimus, fabulas illius gentis ac potissimum de Anchisae et Veneris congressu narratiunculam divulgatas ac notissimas fuisse. Praeterea animo est tenendum, Cumanum agrum e regione Chii insulae et prope ad Smyrnam situm esse, quo in confinio inter Aeoles et Iones Homeri carmina composita esse Wolfii et Lachmanni eorumque, qui hos viros doctissimos secuti sunt, disquisitionibus optimis et certissimis argumentis firmatum mihi videtur esse. Quocirca ex dialecto quoque Aeolum illorum Asianorum Homerum nonnullas petiisse voces ac vocum formas

---

1) Dorier I pg. 222.

2) Gesch. des Alterth. III pg. 150 Anm.

3) In hanc urbem quadrat optime id quod Müllenhofius de Aeneadum urbibus omnibus dicit ‚Deutsche Alterthumskunde‘ I pg. 18: ‚Bei den Aeneaden darf man hauptsächlich die Quelle suchen, aus der den Griechen die troische Sage zufloss, und es ist nicht anzunehmen, dass diese ihnen erst einen Stammhelden angedichtet, oder dass sie sich ihn erst aus der griech. Sage erlesen und ausgesucht haben.

4) l. l. I pg. 43.

5) l. l. I pg. 203—312.

6) O. Müller Dorier I pg. 222; Suidas s. v. Σίβυλλαι.

7) Duncker Gesch. des Alterth. III pg. 151 idem putat.

notissimum est. Ac poeta noster eum secutus est — cf. com. n. pg. 48. Quodsi animo tenes, me in miram ac vagam opinionem discessisse non putabis, quum statuam, Gergithibus in urbe Teucrorum in agro Cumano sita hymnum, de quo agimus, in Venerem esse compositum a rhapsodo quodam, qui in hac regione ex rhapsodorum more fortasse vagabatur et huc illuc migrabat. Audiebat enim ille fortasse fabulam de Veneris et Anchisae congressu praeclarissimam et fusius apud illos Teucros enarratam, cuius apud Homerum tantum vestigia quaedam exstare non ignorabat. Qua vero eum usum esse ad prooemium conficiendum non puto. Etenim quamquam constat a rhapsodis semper rhapsodiae, quam canere volebant, praefixum esse prooemium eo consilio, ut dei in rhapsodia celebrati honores efferrent, tamen fabula nostra fuit materia inepta ac maior. Et cum Mathiaeo[1] interrogo, quis fuit, qui quum Homerum audire vellet, trecentis poetae inferioris versibus pronas daret aures? Quare neque hymnum nostrum neque ceteros hymnos homericos maiores esse pro prooemiis habendos censeo. Nihil autem posse concludi Baumeisterus[2] recte dicit ex notione propria vocis *προοίμιον*, quam usurpaverit Thucydides libr. III. cp. 104 de hymno in Apollinem Delium, quia ex iis, quae attulerit Stallbaumius ad Plat. Phaedr. pg. 60 satis clare prodeat, prooemiorum nomen de universo genere hymnorum in Apollinem in usu fuisse. Quocirca puto, a rhapsodo, qui fabulam de Anchisae et Veneris congressu vel primus vel latiore ambitu audiverit, eam in formam poeticam, quae apud Graecos tum erat epica, redactam esse, prout Gergithibus circumferebatur. Ortum igitur est carmen epicum, quorum multa a Graecis tum confecta sunt. Hinc illa homericum dicendi genus paene adaequans oratio hymni nostri, quippe qua, quum a poetis illis homericis (quos nunc rhapsodos vocamus) inventa legibus certis constituta esset, quum omnes tum rhapsodus noster uti calleret. Hinc illud praeclarissimum *ὕμνον ὁμηρικωτάτον* nomen, hinc denique totus ad carminis epici praeclarissimi

1) cf. com. n. pg. 8.
2) l. l. pg. 101.

exemplar proxime accedens hymni color ac forma! Neque altera conditione atque hymnus sine dubio usa sunt carmina de Sarpedonis et Glauci rebus gestis prioribus Iliadis libris inserta [1] ac de legatione ad Achillem in nono Iliadis libro nec non de nece Dolonis in decimo Iliadis libro — quod carmen sui iuris fuisse Eustathius (785, 4) tradidit — alia.

Huiusmodi vero carmina epica ad carmina praestantissima Homeri conflanda, ut omnia inter se praeclarius connexa et apta essent, antiquissimis et genuinis, si ita dicere licet, fabulae iliacae carminibus inserta esse pro certo habeo. Ac fortasse casu tantum fortunae factum est, ut hymnus noster carminum homericorum numero adiectus non sit, quippe qui hoc honore sane dignus fuerit. Cuius rei causam fuisse suspicor, quod hymni fabula res non paucae contineri viderentur, quae non ad Graecorum ingenia excogitata essent quasque nos supra fusius enummeravimus et exploravimus. Postea carmen nostrum quale fuerit, Graeci prorsus obliti sunt. Inde factum est, ut hymno extremo affixa sit illa clausula finalis *σεῦ δ᾽ἐγὼ ἀρξάμενος μεταβήσομαι ἄλλον ἐς ὕμνον*, quae nihil aliud est, ut recte Schwalbius ait [2], nisi transitus a dei invocatione ad proprium alius cuiusdam carminis propositi argumentum — id quod patet ex clausula hymni homerici in Dianam noni:

αὐτὰρ ἐγώ σε πρῶτα καὶ ἐκ σέθεν ἄρχομ᾽ ἀείδειν,
σεῦ δ᾽ἐγὼ ἀρξάμενος μεταβήσομαι ἄλλον ἐς ὕμνον,

quum altera clausula sit

Αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ᾽ ἀοιδῆς,

quae hymnis in Apollinem Pythium, in Mercurium, in Cererem est affixa quamque in extremo hymno in Apollinem Delium in consarcinando utroque in Apollinem hymno esse amissum suspicor. De qua posteriore clausula optime ait Schwalbius [3]: ‚Nunquam deos satis laudari posse arbitrabantur (nempe Graeci), ita ut quum vel quingentorum versuum hymnum decantassent, discedere non aude-

---

1) Giseke Homer. Forschungen (a. 1864) pg. 234 sqq.
2) in progr. Cleviens. a. 1852 pg. 11.
3) l. l. pg. 11.

rent nisi alio rursus carmine promisso.' Apta igitur est huiusmodi clausula carmini alicui epico, non autem prooemio, atque apta fuit hymno nostro, cui vero natura ipsius, qualis revera erat, postea neglecta, quum hymnus ipse pro prooemio esset habitus, affixa est clausula veris prooemiis propria. Nec necessarium est cum Windischio quum omnes hymnos tum carmen nostrum putare pro frustulis poeseos homericae exiguis, quae veluti Centones homerici[1] de carminibus homericis sumunt versus quosdam vel versuum particulas, ut novum inde carmen consarciatur. —

Sed haec hactenus! Namque ut summam disputationis nostrae paucissimis repetam, puto hymni nostri argumentum deberi fabulis, quae inter Troianos vel eorum reliquias in Asia moratos divulgatae fuere. Unde rhapsodus quidam fabulam fortasse Gergithibus in agro Cumano sitis auditam in formam carminis iusti epici redegit. Sic hymni et fabulae et dicendi generi, quod est ionicum, satisfecimus.

His rebus praemissis restat, ut de aetate, qua hymnus ortus esse videatur, breviter disseramus.

Quum vero testimonia veterum hac in re nobis omnino desint, in principio est confitendum, tempus, cui hymnus sit tribuendus, vix certis finibus circumscribi posse. Sunt autem nonnullae res, quibus opinione non ita devia imbuamur. Etenim ut ea, quae ad verba spectant, praemittamus, mensura syllabae prioris vocis καλὸς exceptis duobus locis longa[2], quae apud Homerum eadem est producta, quum posteriore tempore correpta sit, hymnum non multo post carmina homerica esse compositum demonstratur. Accedit quod in fragmento Cypriorum, quod exstat apud Athenaeum[3], vocis καλὸς syllaba penultima est producta:

,— ἄνθεϊ καλῷ' et ,καλὸν ἀείδουσαι —.'

Ceterum hoc ipso Cypriorum fragmento, quo exornatio Veneris

---

1) Bernhardy Griech. Litt. II³, 1 pg. 457.

2) cf. com. nostr. pg. 26 sq.

3) l. XV cp. 30 Schw. — cf. Henrichsen de carminibus Cypriis comment. (a. 1828) pg. 63; Welcker. Ep. Cycl. II, pg. 510.

describitur, edocemur intimum commercium ab hymno nostro cum Cypriis esse actum. Qua re Groddeckius quoque adductus est, ut hymnum esse Cypriorum particulam putaret. Quam opinionem falsam esse nunc inter viros eruditos constat[1]. At hoc certe elucet, artem Cypriorum conditoris, quisquis est, a genere dicendi poetae nostri non valde abhorrere, ergo utrumque poetam pari quasi fastigio artis epicae stare, id est, si rem ex ingenio poeseos Graecorum illa aetate adhibitae diiudicamus, illos fuisse aequales vel non ita longo temporis spatio interiecto vixisse. Quum vero id tantum constet, Cypria non multo post ultimas et genuinas carminum homericorum particulas esse confecta, ergo non post primam olympiadem, nostro iure contendere videmur, eidem aetati hymnum nostrum esse tribuendum. Atque haec opinio valde eo confirmatur, quod disputatione ampliore demonstrare enixi sumus, hymni et rem metricam et genus dicendi exceptis nonnullis rebus, e quibus artem epicam paullulo esse provectam et lapsam elucet, eadem fere conditione uti atque carmina homerica genuina. Quare hymnum, ut eius aetatem certioribus finibus circumscribam, puto exeunte saeculo nono vel ineunte saeculo octavo ante Christum natum esse confectum — id quod iam supra (pg. 49) suspicatus sum.

Libenter commentationi affixissem disputationem de hymni nostri versibus interpolatis et spuriis, quos nonnullos in hymno exstare pro certo habeo ac de quibus viri docti, qui de hymno emendando studiose navaverunt operam, multa attulerunt. At Guttmannus[2] nuper contendit, Baumeisterum non ea, qua opus esset, diligentia usum esse in referendis librorum manuscriptorum lectionibus, potissimum quod ad codicem hymnorum Laurentianum (plutei XXXII, 45, L a Baumeistero dictum) attinet. Quocirca quum certis codicum quorundam lectionibus, quae

---

1) cf. Baumeisteri l. l. pg. 251.
2) De hymn. homeric. histor. critic. pg. 10 sq.

solae emendandis versibus certa fundamenta esse debent, carere videamur, aptius esse puto rem totam relinquere infectam, quamquam de locis non paucis nunc iam et nostris litterarum subsidiis iudicia argumentis satis firmis stabilita proferri possunt. Ipse vero si novas librorum manuscriptorum, praesertim codicis illius Laurentiani, collationes nactus ero, fortasse viris doctis editionem hymni nostri peculiarem, si deus iuvat, proponam.

Errata.

pg.	4	versic.	13	lege:	homericorum
„	6	„	20	„	Iliad. *υ*, 307
„	7	„	7	„	assensus est
„	8	„	8	„	traditas
„	8	„	31	„	petitum
„	12	„	24	„	verborum
„	16	„	18	„	*δίῳ*
„	23	„	13	„	incepisse,
„	23	„	14	„	nabh-as
„	23	„	23	„	comparari
„	24	adnot.	1	versic.	5 dele priorem ‚u‘
„	27	versic.	8	lege:	tempore Hesiodi
„	27	„	11	„	tert.
„	27	„	14	„	Graecorum — (*κάλλιστος*)
„	35	„	16	„	notissimis
„	48	„	4	„	notissima
„	48	„	27	„	*ἀλφεσίβοιαι*

Litteras abundantes ab extrema versiculi parte in posterum falso transtulit typotheta: pg. 7 versicc. 37 et 38, pg. 10 versicc. 14 et 15, 26 et 27, pg. 13 adn. 4 versicc. 8 et 9, pg. 21 versicc. 11 et 12, pg. 26 versicc. 5 et 6.